

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

25, 31

PHYSIOLOGORVM OMNIVM
PRINCIPIS

ARISTOTELIS
DE ANIMA LIBRI

TRES, EX VERSIONE

Michaëlis Sophiani re-
cens nata:

QVIBVS ADDITA BREVIS
disputatio est, ad Ordinem, Materi-
am, Diuisionemq; totius tra-
ctationis de Anima per-
tinens,

Autore

SIMONE SIMONIO
Doct. Med. & Philosophiæ, eiusdem-
que in Academia Lipsiensi,
publico professore.

L I P S I A E

A N N O

M. D. LXIX.

Ge

2444

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.

Fragment of text from the adjacent page on the right, showing the right edge of several lines of text.



AMPLISSIMO
VIRO, DOCTRINA,
PRVDENTIA, PIETATE-
que ornatissimo, Doctore Georgio
Cracouio, Magni Augusti Princ.
& Electoris Saxonæ, fidissimo cha-
rissimoque Consiliario,

SIMON SIMONIUS
PHIL. ET MED. DOCT.

S. D.

EXCELLENS EST SA-
ne humanæ naturæ præstan-
tia (clariss. vir) atq; adeo, vt rerum
omnium quas naturæ lex & impe-
rium continet, homo nobilissimus
& princeps habeatur. Hoc certè
pulcherrimum quiddam, & admi-
randum est in homine, sed illud
turpissimum ac summopere dolen-
dum, quòd tam parum suæ nobili-
tatis, diuinitatisq; memor, & sol-
licitus esse videatur. Etsi enim
varium quiddam, & multiforme

A 2 atq;

atq; ex diuersis rebus compositum animal, homo fit, in eo tamen, nihil est intelligentia & mente diuinius, qua vel ipsi etiam Deo per similis habetur. Hanc igitur partem, quam omni studio & diligentia excolere debuit, turpitudine viciorum, voluptatum illecebris, mortalium rerum cura, sic obrui finit, vt iam mutis animantibus nihilo videatur esse præstantior. In causa illud est, quòd seipsum nunquam spectet, vel nunquam cognoscere studeat quantum ipse vnus, inter omnia hæc inferiora excellat. Hinc tanta erratio, cum in vitæ genere deligendo, tum in ipsa vita, tantaq; rerum vel maximarum, & præstabiliū ignorantio: vt iam paucos reperias, qui laudatam viuendi rationem sequantur, ferè autem nullos, qui adumbratam effigiem veritatis rerum, ne dicam veritatem, videre
fatis

DEDICATIO.

fatis possint. Sic iure optimo, saluberrimum humano generi præceptum illud Apollinis inscriptum in foribus templi Delphici, iudicatum est: NOSCE TE IPSUM: Et sapienter admodum, Cræso Lydorum regi fortunatissimo oraculum consulenti, quo nam pacto reliquum suæ vitæ tempus foelicitè peragere posset, illud ipsum consilium datum fuit. Ac sanè, rationi non est consentaneum, Medicum vt corpus sanum efficiat vel conseruet, Pictorem item, & Statuarium, vt illud coloribus, & scalpello imitentur, atq; inani delectatione oculos nostros pascant, plurimum operæ studijq; in corporis cognitione consumere, Hominem autem, vt suæ diuinitatis, immortalitatisq; cognitionem & sensum habeat, si non omnem quem optimæ institutioni vitæ necessarium esse nouimus, aliquem

A 3 faltem

E P I S T O L A

saltem & qui non parum ad id conducatur, ut videlicet non modo seipsum virtute ornet, sed prohibeat etiam, quo minus lumen illud naturæ suæ, mole viciorū grauetur, vel mala consuetudinis corruptela, tanquam ignis interclusus extinguatur, sui ipsius naturam contemplari, diligenter intueri, & agnoscere nolle. Omnino itaq; ut hominis summa est sapientia, seipsum satis cognoscere, sic dementia summa est, seipsum ignorare.

Verissimè igitur sapiētissimi Philosophi dixerunt, in tota Physiologia veterum, Platonis præsertim & Aristotelis, quæ traduntur omnia frugifera quidem esse ac fructuosa, nihil tamen præstabilius, nihil illustrius, nihil vitæ hominū utilius, quàm contemplationem & cognitionem Animæ reperiri. At obscuriora, inconstantiora, inordinatiora ea sunt, quæ Plato nō modo

D E D I C A T O .

modo de Anima, sed de Physiologicis quibusq; rebus scripta reliquit. Aristoteles autem, qui in tanta ac tam densa caligine veteris Philosophiæ summam summi ingenij solertiam & elegantiam ad res omnes, quæ aliqua doctrinæ laude continerentur, ac Physiologicas præsertim inuestigandas, tradendasq; adhibuit, hanc quoque partem in sua Physiologia diuinitus est persecutus. Nam de Animæ natura, partibus, muneribus, acutissima methodo, ordineque perspicuo, nobis omnia tradidit, quæcunq; tradi vi naturæ, humanoque ingenio potuerunt. Nemo certè est, qui si diuinos illius de Anima commentarios, accurate legerit, excusseritq;, hoc ipsum palam non profiteatur. Splendidissimum fanè argumentum, & quod in manibus, vel, vt rectius loquar, in mente, continenter ha-

A 4

beri

E P I S T O L A

beri deberet. Nulla est scientia, nulla est ars, nulla disciplina, nulla res in vniuersa vita nostra, in qua, contemplatio ista vsui nobis maximo non fit. Dicam illud quoq; & verissimè dicam, nullum esse in tota Physiologia argumentum, cuius cognitio, tam necessaria Theologis, quàm ista, fit. De libertate siue seruitute voluntatis nostræ, de appetitu, de facultatibus Animæ, de affectionibus eiusdem disputât ferè semper, quàm tamen (de nonnullis loquor) ista omnia miserabiliter confundant, atq; in confusione illa, se & alios implicent, veritatemq; ipsam obscurent, norunt optimè illi, qui non in compendijs istis, non in limine, sed in penetralibus solidæ Philosophiæ, id est in Aristotelica lectione ante versati, eorum scripta degustarint. Concludo, neminem esse cuiusuis gradus, aut condi-

DEDICATO.

conditionis hominum, qui non magis ista speculatione quàm alia quavis (diuina semper excipio) delectari deberet. Quid enim? ea quæ sunt extra, id est in hoc pulcherrimo, quod oculis cernitur opificio Dei, & ipsius etiam sapientissimi opificis intima perscrutabimur, id autem quod intus in nobis residet, & ob quod tanquàm illustrantem solem, reliqua cerni possunt, negligemus? Intelligimus, volumus, inuenimus, ratiocinamur, deliberamus, iudicamus, consiliũ capimus, eligimus, videmus, audimus, olfacimus, gustamus, tangimus, de rebus visu, vel auditu, vel alio sensu perceptis cogitamus, earundem recordamur, reminiscimur, appetimus, voluptatem percipimus, amamus, desideramus, speramus, gaudemus, dolore afficimur, odimus, fugimus, timemus, mœremus, irascimur,

A 5 cimur,

E P I S T O L A

cimur, alimur, crescimus, gigni-
mus id quod nobis simile est, loco
mouemur, attamen qua vi, & fa-
cultate, quibus organis, quomo-
do ista omnia fiāt ignorabimus?

Hæc me quoq; causa impulit,
clarissime Vir, vt in primo huius
meæ Philosophicæ professionis
Lipsensis vestibulo, libros hos A-
ristotelis de Anima explicare, at-
qué vnā, alternis videlicet tribus
diebus, eiusdem Aristotelis Logi-
ca, qua ad res cuiusuis generis co-
gnoscendas, veluti aëre ad respi-
randū egemus, interpretari, hoc
præfertim tempore controuersia-
rum pleno, constituerim. Sed de
Logica alias: nunc iterum ad li-
bros de Anima. Moneo semper
ac suadeo, vt Aristoteles græcè
scribens, legatur quoq; & audia-
tur græcè. Sed pleriq; sunt, qui
græca non intelligentes, aut certè
latina commodius percipientes,
ijs dun-

DEDICATO.

ijs duntaxat libris Aristotelicis delectentur, qui de græcis conuersi sunt, græcos non attingāt. Aiunt, ad venustatem quidem Aristotelicam cognoscendam, græcam Aristotelis lectionem permagni interesse, ad doctrinam autem, quã ipsi vnã quærunt, ac expetunt, nihil: si præsertim scripta eius optimè latinis literis expressa possint haberi. Facile istis & sine periculo cōcedi omnia posse nt: sed hoc opus, hic labor, Quòd videlicet, paucas aut ferè nullas versiones Aristotelis hætenus legerimus, quæ vndequaq; fideliter & appositè sensum Aristotelis nobis exprimant. Antiqua, non modo barbara & planè fordida, verùm etiam ieiuna nimium & superstitiosa est: nam dum verbũ verbo reddere, ac singula eodem quo græcè sunt ordine, referre vult, Aristotelem vt obscurum, ineptum, durum

E P I S T O L A

durum, ac prope ferreum scripto-
 rem repræsentat. Contra Argy-
 ropilus & alij nonnulli, dum ni-
 mia verborum copia, concisam
 Aristotelis venustatem quæ nihil
 inane, nihil superuacaneum pati-
 tur, dilatare, & quasi explicare cu-
 piunt, in causa sunt, vt rarò com-
 modum sensum, grauitatem præ-
 ceptorum, energiam verborum
 Aristotelis elicere valeamus. Mit-
 to illos, qui nulla rerum subiecta-
 rum intelligentia instructi, sed pe-
 ritia duntaxat nescio qua linguæ
 Græcæ freti, liberius adhuc quam
 alij inani quadam verborum va-
 rietate, ac sine sobrietate vlla lu-
 xuriante oratione adhibita, ad-
 dendo demendoq; sententias græ-
 cas concipere ac persequi volue-
 runt: Mitto inquam istos, nam vt
 eorum libertas est sine modo, sic
 periculosior, & ad assequendam
 Aristotelis *διάνοιαν* aliorum liber-
 tate,

D E D I C A T O .

tate, vel superstitione peruersior. Hæc igitur res fecit, vt cum satisfacere auditoribus meis omnibus, quos frequentes ad me audiendū, auidè concurrere video, summo-
 pere cupiam, cum præsertim græcorum exemplarium, copia ferè nulla esset, libros hosce tres de Anima ex Michaelis Sophiani versione recens nata, & mihi omniū probatissima imprimi curauerim. Videtur mihi doctus iste vir, & linguæ Græcæ peritissimus, ita se temperasse, vt mediam quandam viam inter extrema illa viciosa, de quibus diximus, in conuertendo secutus, Aristotelis sensa fideliter fatis ac dilucidè præter cæteros, adhibita etiam oratione non planè horrida, neq; plane ieiuna retulerit.

Hos autem libros, cur in tuo Clarissimo nomine apparere voluerim quis requirat? Etenim cum
 ab Il-

E P I S T O L A

ab Illustrissimo ac præcellentissi.
principe Augusto Electore Saxo-
niæ Domino nostro clementissi-
mo, pietatis amantissimo, bona-
rum ac præclarissimarum artium
patrono, quæ sua est benignitas,
te suadente delectus sim, qui in flo-
rentissima Academia hac Lipsen-
si, suæ celsitudinis nomine ac sti-
pendio Philosophiam Aristoteli-
cam cum aliqua dignitate publicè
profiteretur, vt hos ipsos libros
hoc tempore interpretari velim,
ac possim, effecisti. Cupio igitur
ego vicissim, Clarissime vir, officio
isto meo quantulocunq; efficere,
vt si quid auditoribus meis utilita-
tis vel emolumentum futuræ præle-
ctiones disputationesq; nostræ de
Anima afferant (allaturas autem
plurimum, iuuante Deo spero) id
totum tibi, qui erga bonarum li-
terarum studia in quibus omnibus
excellis, tanto amore affectus es,
ferant

DEDICATIO.

ferant acceptum. Cupio item, & auidiffimè opto, in hoc ipso meæ professionis Lipsensis vestibulo, testatū omnibus facere, quàm debere in sempiternum debeam, tuæ illi humanitati, qua me peregrinum, ac humilem hominem ita complectendum nuper putasti, vt clarissimum singularis beneficentiæ monumentum posteris prode- re me fouendo, Illustrissimo præ- cellentissimoq; principi Electori commendando, & apud eiusdem celsitudinem extollendo, promo- uendoq;, voluisse videaris. Equidē ante colebam te animo plurimū quòd de præstanti grauitate tua, doctrina, prudentia, animi since- ritate, benignitate, vitæque co- mitate, multa prædicari multo- ties à quā plurimis bonis ac doctis viris, præsertim verò ab Excellen- tibus ac singulari Philosophicæ, Medicæq; doctrinæ eruditione
atq;

atq; peritia, nec non morum probitate clarissimis Doct. Gaspare Peucero & Ioanne Schroetero audiuissem, nunc autem ego ipse & in me ipso hæc expertus, non omnem modo obseruantiam tibi, vt homini omnium virtutum generibus ornatissimo grauiissimoq; , sed etiam vt in me beneficentissimo, omnia quæcunq; à grato proficisci animo possint officia, obsequiaq; debere confiteor.

Tu verò quæso, hanc mei animi publicam significationẽ, quam diutius differre, magnitudine tuorum erga me meritorum extimulatus non potui, æqui boniq; consulas, atque vt me in numerum tuorum clientum humanitate tua iam recepisti, sic autoritate, quæ summa est, fouere ac protegere digneris. Quemadmodum autem, opusculum hoc Aristotelicum, quod præcipuam nobilissimamq;

DEDICATO.

namq; Physiologiae partem con-
tinet, simplici praefatione mea ve-
stitum nomini tuo nunc dicatum
est, sic idem commentarijs nostris
ornatum, Deo iuuante, aliquando
fortasse dicabitur. Vale diu &
foeliciter, Lipsiae Anno M. D.
LXIX.

B

Libro-

LIBRORVM TRI-
VM DE ANIMA, OR-
DO, MATERIA, DI-
VISIO,

Autore

SIMONE SIMONIO

DOCT. MED. ET PHIL.

*S*unt ex interpretib. cum Grecis tum
Latinis nonnulli, qui argumentum
hoc de Anima, praesertim quòd ad il-
lam partem quæ de Mente Hominis
agit, non esse Physiologicum dicant, sed
vel metaphysicum, vel medium quid-
dam inter utrumq;, vel etiam mathe-
maticum. Rationes istorum omnium
potissimas, summatim expendere in
praesentia libet. Qui ergo ad Meta-
physicum, istam tractationem reuocant,
& Physiologicam non esse dicunt, Ari-
stotelis autoritate nituntur, qui ^a alicu-

[a] 6. met. con
tex. 2. *bi docuit, illa duntaxat*

*ad Physiologum pertine-
re, quæ materia sunt admista: ^b quæ
cum mouent & ipsa quoq; mouentur:*

[b] 2. phy. 71. ^c *quæ sunt natura: At*

B 2

mens

P R A E F A T I O.

[c] primo cœ- *Mens humana est à ma-*
 li primo. *teria separata, ac proin-*

[d] 3. de an. c. 1. *de^d laudatur ab Ari-*
stotele Anaxagoras, qui mentem vocavit
ἀμύνην, imò ab eodem Arist: ^e χω-
ριστὸς καὶ ἀμύνης, καὶ ἀπάθης nuncu-
patur: Item, non est Natura, ut ^fidem

[e] 3. de an. *testatur, & ratio docere*
 cap. 2. *videtur, nullius enim mo-*

[f] 1. de part. *tus principium est: neq;*
 an. *etiam mouendo, ipsa mouetur, vel es-*
sentialiter vel accidentaliter & Auer-

[g] 1. de an. 66. *roe teste. Sic concludunt,*
opus istud Metaphysi-
cum potius esse quam Physiologicum.
Sed errant: Nam speculatio ^h Physiolo-

[h] Themist. 2. *gica, certè ad formam ho-*
 de an. & 2. phy. *minis ultimam usq; in-*
 26. & Auer. *clusiue progreditur, quæ*
 ibid. *est Anima rationalis:*
an non homo quatenus homo, est physio-
logicae speculationis? an compositum
considerabit Physiologus, non compositi
partes? Et, ut paucis agamus, nonne
Ari-

[i] in lib. de
com. motu. an.
in lib. de sens.
& sens.
in lib. de incef-
su an.

[k] 1. post.
analy.

[l] in lib. de
sen. & sens.
Auer. ibid. &
initio Meteor.
item in epist.
de intellectu.
& 2. phy. 11. 3.
de an. 17.

*stoteles ipse i bis terue li-
bros hosce physiologicis ad
numeravit? adnumeraf-
set autem, ^k si contra sua
præcepta à tam humili ge-
nere, ad tam altum ge-
nus transire debuisset? ^l
Alexander Aphrodise-
us, & Auerroes nobiscum
sentiunt. Neq; obstant
quæ obijciuntur: Nam
mens humana, licet se-
ipsa sit à concrezione ma-
teriei segregata, in libris tamen de ani-
ma consideratur, prout est sensibus ac
materiei quodammodo iuncta. Cum
enim ut queat intelligere, formari re-
rum intelligibilium formis debeat, &
rerum intelligibilium formæ in phanta-
smatis resideant, quæ sine materia &
corpore non subsisterent, ^m ad phantaf-*

[m] 3. de an.
30. & 39.

*mata certè intelligendo
se convertat necesse est.
Sic mens dum est in hoc corpore à phan-*

B 3 *tasia*

P R A E F A T I O.

tasia & corpore pendere dicitur, non au-
tem quia corporeo aliquo instrumento
ut sensus utatur: quomodo enim ipsum
instrumentum perciperet? cernendi fa-
cultas certè non percipit oculum, neq;
audiendi aures: atⁿ Mens nostra ad
 [n] 3. de an. *omnia intelligenda est*
 cap. 1. *apta: quomodo item se*
ipsam posset comprehendere? Sed hæc
alibi, nunc quod instat: Et mens agens
consideratur, prout ad capacem refer-
tur. Confirmantur quæ diximus, auto-
ritate Aristotelis, qui^o Animam de-
 [o] 2. de an. 4. *finit in uniuersum, prout*
 & 6. *ad corpus respicit: Exci-*
piet aliquis, at illa definitio analogicè
duntaxat menti conuenit: Concedo,
quia concedit & Aristoteles, sed istud
 [p] 2. de an. 11. *michi sat est. Mouetur*
item Mens, non quidem
in se & absolutè spectata, ad quam re-
spexit Auerroës, sed ratione & sensus cui
 [q] 3. de an. *iuncta est: mouetur, in-*
 cap. 1. *quam, spirituali & me-*
tapho-

taphorico motu dum accipit rerum species, id est motu perficiente, non corrumpente: quod sufficit ad hoc ut aliquid physiologicè speculationis esse dicatur. Est etiam Mens unâ cum appetitu, principium motus localis, ut ex

[r] 3. de an. Aristotele ipso liquet: neque
49.

que obstat, quod Bruta quoque moueantur quæ Mente carent, nam neque nos affirmamus Mentem, cuiusuis motus localis esse principium, sed eius duntaxat qui est in Homine. Aristotelis igitur autoritas, de Mente prout in seipsa spectatur intelligenda est, non prout nobis est iuncta, quo modo natura certè dici potest, non tamen ad unum genus motus, ut graua deorsum, leuia sursum determinata. Auerroës quoque de motu propriè accepto id est non perficiente sed corrumpente loquebatur. Alij extiterunt, qui duce Augustino Suesano, scientiam hanc neque Metaphysicam neque Physicam, sed Mathematicam vocarunt: eam ob causam, quod

B 4 si vel

si vel metaphysices uel physices pars esset, tam splendido proœmio non fuisset insignita, in quo uidelicet de dignitate, de difficultate, ac progrediendi modo huius disciplinæ sermo fit. Solent namq; (ut aiunt) talia proœmia scientijs totalibus, non partibus scientiæ alicuius totalis præfigi: Nunc, si una quadam per se ac totalis scientia sit contemplatio de Anima, & nec physiologica nec Metaphysica dici possit, sequitur necessario ut Mathematicis adnumeretur:

[f] 6. met. 2. ¹ plures enim partes Philosophiæ contemplantis ab Aristotele non recensentur. Præterea, in scientia de Anima ^t certissimæ demonstrationes habentur, ut

[t] 1. de an. 1. Aristoteles ipse testatur, at physiologica vel metaphysica tales esse non dicuntur, u. Auerroë teste, dicuntur autem, ^x mathematicæ. Postremò, mathematicæ illa tractant, quæ partim coniuncta materia,

[u] 2. met. 15.

[x] 2. met. 12.
1. eth. cap. 3. partim

P R A E F A T I O

partim à materia separata dicuntur, linea namq; re ipsa est in ligno vel aere, sed tamen sine ligno vel aere à Mathematico definitur: nunc, talem conditionem Mens hominis obtinet. Stabiliunt hæc autoritate Themistij: Nihil potuit absurdius in Philosophia proferri: An nõ expressa sententia y Aristotelis extat?

[y] 12. met. 44 qua dicitur, nullam mathematicarum (Astrologia excepta) de substantia agere? an non Anima est substantia? quæ autem affinitas analogiæ, ne dicam uniuocationis, inter Animam & Mathematica Entia intercedit, ut cadere sub unam & eandem scientiam specialẽ ambæ debeant? Aequiuocè saltem (aiunt) est Mathematica: egregiè: Igitur Aristotelicæ diuisioni membrum deest aliquod: cum hæc Mathematica non illa sit z cuius

[z] 6. met. 1. ipse mentionem facit. Præterea, nonne Mathematici, res quæ sunt in materia, cogitatione ut separata considerant? At contra, sci-

B s entia

entia de Anima, mentem seipsam separatam ut à corpore materiaq; pendentem speculatur, Quae afferunt, nullum habent momentum: Proœmium parti additur propter nobilitatem: quid prohibet? Et tota scientia nobilis, ac difficilis dicitur, propter nobilitatem difficultatemq; partis. Demonstrationes in Mathematicis sunt certissima, quia ita sunt notae ac perspicuae, ut vel sensibus ipsis pateant, illisq; firmissimè assentiamur: hoc a Simplicius docuit: sic b Aristoteles est intelligendus. At, demonstrationes naturales, ac Metaphysicae certissima sunt, quia effecta per suam propriam, veram & certam causam concludunt. Vnde, quanto res sunt perfectiores, & magis actu, itemq; cause, tanto magis in ijs huic certitudini locus est. Sic Aristoteles in proœmio horum librorum, & Metaphysicorum debet intelligi. Obiter colligo, Naturales & Metaphysicas demonstrationes esse longè certiores

[a] r. de an. 11.

[b] 2. met. 12.
1. eth. cap. 3.

P R A E F A T I O.

tiores Mathematicis, ista notione certitudinis. An non substantia, quam illi considerant, est magis actu quantitatibus, quæ à Mathematico considerantur? an non definitam magis ac certam causam habent qua probentur, naturalia, quàm Mathematica? cum Theoremata horum multis diuersis diagrammatis ostendi queant? Qui igitur hactenus summam Mathematicarum Demonstrationum perfectionem iactarunt, hallucinati sunt, neque in res intimè ut oportuit penetrarunt. Ad rem. Tertiam istorum rationem esse vanam, ex dictis liquet. Alio namque modo separata à materia dicitur mens, alio linea, superficies, corpus. Simplicio autem (nam falsò præfationem illam primi lib. de Physicis. Themistio adscribi, aliàs ostendi) faciunt iniuriam: qui ne per somnium quidem usquam dixit, scientiam de Anima Mathematicam esse: illam quidem vocat mediam, ut Mathematica quoque media est, sed non Mathematicam:

ticam:

P R A E F A T I O.

ticam : consulatur locus. Alij c non
 [c] Simpl. in *Mathematicam scientiam*
præf. i. phy. hanc vocant, sed tamen
mediam : sed quorsum multiplicare sci-
entias, cum non sit opus? Tres sunt dun-
 taxat modi definiendi ^d ab Aristotele
 [d] 6. met. 2. *propositi : nunc essent qua-*
tuor : Præterea, si mediam
vnam scientiam tractatio de Mente con-
stitueret, certè in his libris, utroq; modo
de anima agi deberet, & quatenus vi-
delicet nobis iuncta, & quatenus in se
spectata vna intelligentiarum est. Pro-
batur consecutio: quia secus, unde nam
haberet, ut media diceretur? at conse-
quens nondum apparet. Tota igitur sci-
entia hæc naturalis est, ut superius al-
latæ rationes probant. De Anima ve-
getante itemq; sentiente nullus dubitat:
verùm de mente quoq; non est dubitan-
dum, Neq; enim hic consideratur Mens
in seipsa (sic enim per se ad Metaphysi-
 cum spectat, & e natura
 [e] i. de part. *non dicitur esse) sed consi-*
 anim. *deratur*

P R A E F A T I O.

deratur prout corpori assistit, phantasma
 tis utitur, & energias suas exercet in
 corpore. An non & Mentēs cœlestes,
 eadem ratione, id est quatenus mouent
 & orbibus assistunt, ad Physiologiam re-
 uocantur? cum tamen ut formæ qua-
 dā abstractæ, sint Metaphysici? Sed tol-
 lendi sunt scrupuli duo. Nam si contem-
 platio ista sit Physiologica, cur Aristote-
 les in proœmio ipsius dicit, illam esse
 Physiologiæ utilem? nihil certè sibi ipsi
 utile esse dicitur: Alter est, si mens hu-
 mana ad Metaphysicum quoque pertinet,
 ubi nam de ea sermo in Metaphysicis li-
 bris Aristotelis habetur? Respondeo ad
 primum: hæc contemplatio est utilis
 Physiologiæ ut pars toti, aut etiam par-
 ti, ut illi quæ est de animalibus. Ad se-
 cundum respondent quidam, ut Tho-
 mas Aquinas, libros illos Metaphy-
 sicos esse imperfectos: Nos, quid de libris
 illis censeamus, alibi diximus. Attamen
 non ob istam causam, imperfecta Me-
 taphysica dicitur: Ad beatas mentes,
 ac De-

P R A E F A T I O.

Et ac Deum usq; peruenit Aristotel: De
 [f] 12. met. mente hominis igitur non
 post, sed ante agere debuit.

Quorsum igitur, novos libros desidera-
 re, ut tractatio de Mente humana in li-
 bris illis appareat? An non diximus
 mentem nostram in seipsa spectatam, ac
 prout una intelligentiarum est, ad Me-
 taphysicum pertinere? Quis igitur non
 videt ibi de Mente hominis agi, ubi
 de intelligentijs alijs, ac beatis mentibus
 in uniuersum tractatur?

Ceterum, cum libri hi Physiologici
 sint, locum ostendi sibi aliquis petet, quē
 in Physiologia obtinere debent. At
 Aristoteles ostendit, g cum penultimam
 [g] 1. meteor. cap. 1. Physiologiae partem esse,
 tractationem de animalibus
 dicit, ultimam de stirpibus. At
 multi sunt libri, qui de Animalibus di-
 sputant: quis igitur horum locus inter
 ipsos erit? Hanc rem pluribus determi-
 nauimus, ex Aristotelis sententia, in com-
 mentarijs nostris, in libris de organis sen-
 suum

P R A E F A T I O.

suum & sensilibus : nunc in angustum
omnia contrahantur. ^h Præcedunt libri

(h) 2. de par.
an. cap. 1.

4. de part. an.
in fine.

5. de gen. an.
cap. 7.

lib. de inces.
an. in fin.

(i) 1. de hist.
an.

de historia animalium: Se-
quuntur libri de partibus
eorundem : Tertio in loco
est libellus de incessu ani-
malium. Tractatio de ma-
teria præcedit tractationē
de forma, ut elicitur ex A-
ristotele ⁱ dicente, ad cog-
nitionem lecti, non tantum

materiam, sed formam quoque cognosci o-
portere. Quartus igitur locus est horum
trium librorum de Anima, quasi de for-
ma animalis, Aristotele ipso teste, qui in
libello de incessu animalium sic loquitur :
De partibus igitur tum alijs, tum ijs quæ
ad motum animalium faciunt, hoc mo-
do res habet. His autē sic determinatis,
proximum est de Anima dicere. Qui
verò post hos libros, & quo ordine se-
quantur, in commentarijs commemo-
ratis exposuimus : Illud duntaxat est
declarandum, Cur tractatio de
plantis,

P R A E F A T I O.

plantis, quæ simplicior est, & uniuersalior (ordine certè compositiuo, qui à simplicioribus progreditur, tota Physiologia ab Aristotele instituta videtur)

postremo loco sit posita & non potius ante tractationem de animalibus.

[k] i. meteor. initio. lib. de long. & breu. vitæ in fine.

[l] 5. met. cap. 1.

Non semper (inquit Aristoteles) in Metaphysicis, ordo natura, qui est à simplicioribus, & communioribus, in scientijs tradendis seruetur, sed aliquando necesse habemus ordinem nostri adhibere, qui est à facilioribus, id est ijs quæ facilius à nobis percipi possunt, & ad obscuriorum cognitionem illustrandam faciunt. Faciliior autem doctrina de animalibus est, quàm quæ de plantis: non modo quo ad organa, quæ in plantis obscura sunt, & solâ analogiâ cum animalibus videlicet collata designari possunt, sed etiam quo ad actiones, & munera. Hoc, præterquam quod verissimum est, stabilitur etiam autoritate Ari-

te Ari-

P R A E F A T I O.

se f Aristotelis expresse istud ipsum di-
centis, itemq; Themistij &
[f] 2 phy. 83. & Auerrois, cuius hæc sunt
Them. ibid. verba.

[g] Auer. 2. Et cum exposuit omne
de an. com. 6. corpus viuum esse organi-
cum, atq; hoc in animalibus perspicuum
fuit, in Plantis latuit, incæpit demon-
strare, organa quoq; in Plantis reperiri.
Et operationes quoq; ac proprietates a-
nimalium, sunt magis manifesta, quia
sub sensum magis cadunt, quàm ope-
rationes & proprietates Plantarum.
His profligatis questionibus, Dicamus
iam quis sit scopus, seu quæ sit horum
trium librorum subiecta materia. Quic-
quid Albertus & alij dicant, Anima
in vniuersum horum trium librorum
subiectum est, non corpus animatum: li-
quet hoc ex inscriptione toties ab Ari-
stotele repetita: liquet etiam ex contex-
tu primo, secundo, tertio primi huiusce
tractationis libri, ubi hæc habentur.

Querimus contemplari & cognos-
cere

C

cere

P R A E F A T I O.

cere naturam animæ substantiamq̄, deinde quæcunq̄ ipsi accidunt.

Definitur in his libris anima, diuiditur anima, & omnia quæcunq̄ tractantur, iccirco tractantur, quia ad animam vel ut partes, vel ut facultates et energiae referuntur. Quæ item de odore & colore alijsq̄ istiusmodi proponuntur, idcirco proponuntur, ut in cognitionem facultatum animæ facilius veniamus.

Cur igitur corpus animatum, & non animam Subiectum horum librorum esse statuunt? At(dicunt) Hæc tractatio pars est Physiologiæ: verum est: Physiologia in vniuersum pro subiecto habet corpus mobile: admitto: ergo hæc quoq̄ pars tale subiectum habere debet, quod generalis illius subiecti species sit, tale autem est corpus animatum, non anima: nuge. Totius contemplationis de Animalibus, quæ est vna Physiologia pars, & pluribus (ut ante diximus) libris continetur, subiectum est corpus animatum: hic autem, id est, in his

P R A E F A T I O.

in his libris, principium corporis animati traditur. Subiecti scientia, cum partes & affectiones, tum vero principia, in scientia illa tradi debent, o

[o] 1. post Aristotele teste. Vrgent
analy. 44.

iterum: scientia ista, nobilissima vocatur ab Aristotele in proæmio: quid inde? nunc non esset nobilissima, si pro subiecto haberet Animam: Cur? quia corpus animatum est animâ ipsâ perfectius: Demonstretur: Finis habet rationem optimi: verum est, & probatum ab P Aristotele:

[p] 2. phy. 31. at anima refertur ad corpus, ut ad finem: concedo,

[q] 2. de an. 37. ex autoritate quoq; q Averrois: sed quæ ad aliud

referuntur, duorum sunt generum: vel enim referuntur ut perficiant, vel ut perficiantur. Forma quæ est diuinum

[r] 1. phy. in fine. quiddam, refertur ad materiam, cuius turpitudi-

[s] 2. de an. 36 nem expolit, & appetitum explet, imperfectionem perficit: s Sic

C 2 anima

P R A E F A T I O .

anima refertur ad corpus : Quæ vero in hunc modum referuntur ad aliud, perfectiora sunt ijs ad quæ referuntur . Deus quoq; optimus , maximus, perfectissimus , quodammodo ad nos referri dicitur , sed ut nos perficiat : Ecclesia quoq; canit : Qui propter nos homines, & propter nostram salutem , descendit è cælis, etc. At materia, refertur ad formam magis ut perficiatur: quapropter formam esse nobiliorem materia, sic rectè concluditur. Contra : si anima est perfectior corpore animato , erit perfectior seipsa , nam in corpore animato, anima est : Respondeo, nullum esse absurdum, idem seipso, sed vario modo se habente perfectius dici. Mens agens est perfectior patiente , una tamen & eadem reipsa Mens est. Sic Forma in sua puritate, nobilior est seipsa immersa materie, cuius sordibus inquinatur : Unde forma in materia, divisionis fit particeps, cum antea non esset.

Instant adhuc: † subiectum præcog-

(t) 1, post
analyt. 1.

P R A E F A T I O.

præcognoscitur quo ad si est: non præcognoscitur hoc de Anima, non est igitur in his libris subiectum. Fabula. Idcirco, quia esse animam est præcognitum, id est satis & per se unicuique notum, non demonstrantur. Ridiculum est, inquit ^u Aristoteles, demonstrare naturam esse: Sic ridiculum,

(u) 2. phy.
cap. 2.

demonstrare animam esse:

(x) cap. 21.

Legatur x Themistius in poste. analyt. volumine:

(y) com. 3. &
7.

Legatur y Auerroës ibid.

Obuiam quidem oculis anima non fit, latet, effugitque omnem sensum, attamen operibus proditis quæ sensu conspicua sunt, Mens illam cernit, ac detegit. An non, dum in viuis est homo, plurima exequitur munera, quæ morte consumptus non attingit? Argumentum est sanè necessariò concludens, non corpus ipsum, efficere, sed aliquid corpore præstantius ac potentius, istorum munerum efficientem causam esse. Hoc Animam vocamus, qua præsentem vitam



P R A E F A T I O.

actioq; omnis perficitur, decedente vero, simul vita perit ac dissipatur.

Diuiditur autem hæc tota tractatio, in tres libros. In primo post proæmium, in quo nobilitas ac difficultas huius contemplationis explicatur, more solito, refert veterum sententias, qui de Anima scripserunt, quæq; ante ipsum in Philosophorum Scholis vagabantur, Ad tres autem sectas, omnes illas alioquin innumerabiles reuocat. Quarum prima, ex motu, altera, ex cognitione, tertia ex ipso quasi incorporeo, quòd videlicet tenuissima quædam res, & in omnes corporis partes penetrans anima esse videatur, de Animæ natura statuerunt. Primæ sectæ præcipuos commemorat Democritum, qui atomis id est tenuissimis quibusdam ac minutissimis corpusculis suapte natura quam maxime mobilibus, Pythagoram, qui non atomis ipsis sed vi atomorum motrice, Platonem, qui substantia quadam mouente omnia, ipsa non mota nisi à seipsa, Anaxa-

P R A E F A T I O.

Anaxagoram qui & ipse, principio quodam motus, animam definiuit. Secunda Secta multi quoque extitere, & ij inter se discrepantes: Omnes tamen putabant, cognitionem fieri per id, quod cognito esset simile: quare Animam, ut cognosceret omnia, ex rerum omnium principijs constitutam dixere. At varia tum erant inter eos sententiae de rerum principijs: Sic, Plato animam ex numeris conflata esse voluit: Heraclitus ex calida exhalatione, unde & ζών vocabulum, hoc est, vita, quae animae tribuitur, à vocabulo ζέσις, id est feruore ductum censebat: Diogenes ex aëre: Thales & Hippo ex aqua, atque ob eam causam, quòd videlicet aqua sit omnium elementorum frigidissima ψυχὴν animam appellari putauit, quasi refrigeratione: Critias ex sanguine: Empedocles verò harmoniam quandam & crassim omnium quatuor elementorū animā esse arbitratus fuit. Tertiae sectae sunt etiā commemoratorū quidā, & alij nonnulli,

P R A E F A T I O.

qui animam vel exhalationem esse, vel spiritum, vel ignem, vel atomos, existimarunt. Hæc omnia dogmata, eorumq; fundamenta, Aristoteles vel ut reuera falsa, vel ut ineptè, hoc est ineptis verbis, & Philosopho non conuenientibus prolata damnat, multisq; rationibus sigillatim confutat. Hæc in primo libro. Sequitur secundus, in quo ex propria sententia de Anima loquitur. Definit in primis illam duplici definitione: una, quæ ad corpus respicit, cuius est forma, & ob quam causam Anima dicitur: altera, quæ ad energias eius, cuius rei gratiâ, Anima Facultas dici solet. Est, inquit, Anima actus primus corporis Physici organici, potestate vitam habentis. Item, Anima est, qua viuimus, sentimus, mouemur, intelligimus primò. Diuidit deinceps in vegetantem sentientem, intelligentem. Tria sunt vegetantis munera, alere, augere, gignere id quod sibi ad similitudinem formæ respondeat: Illa duo animatis omnibus tributa

P R A E F A T I O.

tributa sunt, hoc tertium, non omnibus: nam imperfecta, & mutilata animalia, talem facultatem non obtinuerunt. Sequitur sentiens Anima, qua animalia constituuntur: Cuius facultates sunt, videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, certis quibusdam, ac inter se distinctis organis: praeterea res praesentes, sensu externo perceptas, dijudicandi, (vocat Aristoteles hanc facultatem communem sensum) item de absentibus, aut veris aut non veris, simpliciter cogitandi (Phantasiam hanc appellat) earundemq; recordandi. Quamuis autem omnia animalia sensum habeant, non omnia tamen habent Imaginationem, ut ostreae & vermes. Sic, neq; omnia quae vegetanti Anima praedita sunt, facultatem gignendi sibi simile obtinuisse, antea diximus. Natura inter species perfectas, sic solet medias quasdam imperfectiores interijcere. His consumitur secundus liber. Tertius de parte illa Ani-

C S ma sub-

P R A E F A T I O.

*mæ sublimi, ac nobilissimæ tractat, qua
 solus homo, intelligit, contemplatur, ra-
 tiocinatur, deliberat, consilium capit:
 Est autem hæc, Anima rationalis: in
 qua vis contemplandi, diuersa à con-
 sultandi vi cernitur: quapropter, prout
 res contemplatur, ac in rerum verita-
 tem est intenta, Mens θεωρητικὴν appel-
 latur, prout verò ad agendum, id est ad
 res hæc humanas administrandas, ac
 regendas, conuersa est, πρακτικὴν dici-
 tur. In mente contemplante, duas ad-
 huc potestates Aristoteles animadu-
 erit: vnã quæ capax tantum dicitur,
 id est, nihil adhuc in se habens eorum,
 ad quæ intelligenda est idonea nisi po-
 testate: in quo statu est, cum in lucem
 edimur, quo tempore vix à brutis
 differimus: Alteram, quæ agens voca-
 tur, id est quæ mentem capacem, aut po-
 tius seipsam suo lumine, sua vi, & ef-
 ficacitate, à potestate ad actum, & qua-
 si à tenebris ad lucem ducit. Hæc potissi-
 mam & priorem tertij libri partem con-
 ficiunt.*

P R A E F A T I O .

ficiunt. Adduntur postea quaedam, quae
 partim ad mentem pertinent, partim
 copiosior repetitio tantum sunt, (ut
 Aristoteles ipse testatur)
 [2] 3. de an. eorum quae in praecedenti-
 37. bus libris dicta fuere : ut,
 Mentem non intelligere, nisi prius se
 conuertat ad Phantasmata : una cum
 appetitu, esse principium motus localis :
 hinc, nonnulla de voluntate & ap-
 petitu miscentur : ac declaratur, quod
 nam sit animalium imperfectorum
 principium mouens : quae Anima fa-
 cultates, quibus animatis necessario in-
 sint : animalis corpus, simplex esse non
 posse.

Hanc trium istorum seiungen-
 dorum librorum rationem, quae
 Auerroi placuit, sequi maluimus,
 quam quae Graecis & Latinis nonnullis
 probata est. Nam quod isti aiunt,
 Tertium videlicet librum, inde
 initium

P R A E F A T I O .

initium debere sumere, ubi Aristoteles probat, Non dari sextum sensum, & sensum communem querit, ratione nulla probabili nititur. Cur enim tractatio ista, ab ea qua praecedit, id est de quinq; sensibus, seiungi debet? cur non in unum & eundem librum, id est secundum, referri? Respondet Philoponus, in ea non agi per se de sensu communi, sed per accidens, ut videlicet discrimen inter ipsum & rationem appareret: egregie: ubi igitur per se agitur de communi sensu? Res certe digna, qua alicubi per se tractaretur. Praeterea, enumeraverat quidem antea Aristoteles quinq; sensus, sed nondum demonstrarat: in ista particula demonstrat, cur igitur ab altera discluditur? Respondet Portius, per se quidem ibi agi de sensu, sed non primo: Chimera: de quo igitur primo? Respondet, de Anima rationali: & ubi nam? ostendatur locus. At, inquit, equum est saltem, ut finis tractationis de sensibus, nectatur cum tractatione mentis:

tis :

P R A E F A T I O

tis : imo æquius est, ut ab ista disiungatur, quia alterius generis Anima, Mens est. Quæ autem hîc prætexunt, ut Græcos tueantur, veteres videlicet, præter quing, sensus non posuisse alium sensum, qui esset à ratione diuersus, proptereaq, particulam istam, de Anima rationali, saltem secundum veterum opinionem, posse inscribi, sunt plus quam puerilia : Nonne Aristoteles ante, id est in primo libro, iam probauerat, sentire non esse intelligere? Sed mittamus istos cū suis fabulis, & Aristotelem ipsum iam tandem audiamus.

ARI-

Faint, illegible handwritten text on aged, yellowed paper, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 20 horizontal lines across the page.



^I
ARISTO

TELEIS DE
ANIMA.

Liber Primus.

CAPVT I.

MICHAELIS SOPHIA-
NI INTERPRETATIO.



V M O M N E M
scientiam rem pul-
chram ac honora-
bilem esse existime-
mus, aliam tamen
magis alia, vel q̄
exquisitior, vel
quod rerum præ-
stantiorū & admirabiliorum sit, pro-
pter vtraque hæc, scientiam quæ de
Anima habetur, iure optimo in pri-
mis ponendam esse duxerimus. Vi-
detur autem cum ad omnem verita-
tem cognitio eius magnopere confer-
re, tum præcipue ad naturam: est e-
nim

nim quasi principium animalium. Quærimus autem spectare & cognoscere naturam eius & substantiam: deinde quæ circa ipsam accidunt: quorum alia, propriæ passionis animæ esse videntur: alia propter illam etiam animalibus inesse.

Verùm vsquequaq; difficillimum est, aliquam de ea fidem consequi: cum enim illa quæstio communis sit etiam alijs compluribus, intelligo autem eam quæ circa substantiam versatur, & ipsum, Quid est, fortasse putauerit quispiam, vnam esse methodum in ijs omnibus, de quibus volumus cognoscere substantiam, vt etiã priorum eorum quæ ex accidenti sunt, demonstrationem: quare quærenda fuerit hæc methodus. Sin autem non vna sit & communis methodus de ipso, Quid est, longe difficilior fit pertractatio: Oportebit enim inuenire in vnoquoq; , quis modus. Vbi autem manifestum fuerit, vtrum sit demonstratio, vel diuisio, vel etiam alia quædam methodus, adhuc multæ sunt quæstiones, & errores, ex quibus oporteat quærere: alia enim aliorum

orum principia sunt, veluti numero-
rum & planorum. Principio fortè
necessarium fuerit explicare, quo in
genere sit, & quid sit: vtrum inquam
hoc aliquid & substantia, an quale
aut quantum, an etiam aliud quidpi-
am de expositis prædicamentis: Ad-
hæc, vtrum eorum quæ in potentia
sunt, an potius endelechia quædam:
interest enim non parum. Confide-
randum etiam nûm partibilis, an im-
partibilis sit: & vtrum eiusdem spe-
ciei omnis sit anima, an non: si vero
non eiusdem speciei, vtrum specie
differant an genere, iam enim qui de
anima disputant, & quærunt, de hu-
mana sola videntur considerare. Cæ-
terum cauendum est, ne nos lateat,
vtrum eius vna sit ratio, vt Animalis:
an in vnoquoq; diuersa: vt equi, ca-
nis, Hominis, Dei. Animal aut vni-
uersale, aut nihil est, aut posterius.
Similiter etiam si aliud quippiam cõ-
mune prædicetur. Præterea, si non
multæ sint animæ, sed partes, vtrum
oporteat quærere prius totam ani-
mam, an partes: Quin harum etiam
quænam inter se diuersæ sint, expli-

D care

care difficile est. Et vtrum partes oporteat quærere prius, an earum opera, vt intelligere, an intellectum, & sentire an sensitium: pariter etiam in alijs. Sin prius opera, rursus quærat quispiam, an earum opposita prius sint exquirenda, vt sensibile priusquam sensitium, & intelligibile priusquam intellectuum. Videtur autem non solum ipsius Quid est cognitio, vt ilis esse ad considerandas causas eorum quæ substantijs accidunt, vt in Mathematicis, quid rectum, & quid curuum, aut quid linea & planum, ad spectandum quot rectis anguli trianguli sint æquales, sed contra etiam, accidentia magnam partem conferunt ad percipiendū ipsum Quid est. Cum enim statuere possumus ex phantasia, de accidentibus, aut omnibus, aut plurimis, tum quoque de substantia, aliquid asserere quam optime poterimus: Omnis enim demonstrationis principium est ipsum Quid est. Qua re, ex quibuscunq; definitionibus non contingit vt accidentia cognoscantur, immo ne conijcere quidem de eis est facile, perspicu-

spicuum est omnes dialecticè & inani-
 ter esse traditas. Est etiam de animæ
 passionibus quæstio, vtrum sint om-
 nes communes eius quoq; quod illam
 habeat, an sit aliqua etiam animæ,
 quæ sit eius propria: quod sane sume-
 re necessarium est, sed tamen non fa-
 cile: videtur autem plurima neq; pa-
 ti, neq; agere sine corpore, vt irasci,
 confidere, cupere, deniq; sentire.
 Maxime autem simile proprio, est in-
 telligere. Quod si hoc etiam phanta-
 sia quædam sit, aut non sine phanta-
 sia, ne ipsum quidem, sine corpore ef-
 fe possit. Ergo si operum aut passio-
 num animæ aliquid eius sit propriū,
 fieri possit vt separetur: si vero nihil
 est proprium eius, non fuerit separa-
 bilis. Sed quemadmodum recto qua-
 tenus rectum, multa accidunt, vt tan-
 gere æneam sphæram puncto, non
 tamen tanget hoc, separatum rectū:
 inseparabile enim est, siquidem sem-
 per cum corpore aliquo est. Videntur
 etiam animæ passiones omnes esse
 cum corpore: ira, mansuetudo, me-
 tus, misericordia, fiducia: ad hæc,
 gaudium, & amare, & odisse: nam vna

cum his patitur aliquid corpus: quod ex eo indicatur, quod interdum cum graues, ac non obscuri casus accidunt, nihil irritamur, aut timemus: interdum vero vel ab exiguis & obscuris commouemur, cum turget corpus, & perinde affectum est, atq; cum irascitur: quod hinc etiam longe manifestius est: nulla enim re terribili accidente, in passionibus fumus eius qui timet. Quod si ita est, constat etiam passiones rationes esse materiales. Quare definitiones quoq; tales, verbi causa irasci, motus quidam est, talis corporis, aut partis, aut potentiae ab hoc, gratia huius. Quam demum ob rem ad naturalem spectat considerare de anima, vel omni, vel tali: Diuerso tamen modo definiat Naturalis, & Dialecticus eorum vnum quodque: veluti ira quid est. alter enim appetitum mutui doloris afferendi, vel aliquid eiusmodi: alter feruorem sanguinis cordi suffusi, aut calidi: Horum autem, alter materiam describit: alter speciem & rationem. Haec enim est ratio rei, quam necesse est in tali materia esse, si erit, veluti domus ratio

ratio huiusmodi esset, integumentum ad arcenda incommoda, quæ à Ventis, & imbribus, & æstibus inferri solent: alia dicit, lapides & lateres & ligna: alia formam in his, gratia horum: Quæ igitur earum naturalis est? vtrum quæ circa materiam versatur, rationem autem ignorat: an quæ circa rationem tantum: an potius quæ ex vtriusq;? Iam vero quæ nam est vtraq; earum? An non est aliquis qui versetur in passionibus materiæ, non separabilibus, vt nō separabiles sunt: sed naturalis in ijs omnibus, quæ talis corporis & talis materiæ, opera & passionibus sunt: quæ vero non quatenus talia sunt, alius considerat. Atq; de nonnullis quidem artifex, si fors ita tulerit, faber vel medicus: de ijs autem quæ non separabilia quidem sunt, sed quatenus non talis corporis passionibus, & ex abstractione, mathematicus: vt vero separata sunt, primus Philosophus. Sed eò reuertendū est, vnde digressa est oratio, dicebamus autem, passionibus animæ inseparabiles esse à naturali materia animalium, vt tales sunt, vt ira, vt timor:

D 3 Et non

Et non vt linea & planum.

C A P V T II.

Confiderantes autem de anima, necesse est prius quasi in inopia sumus, dum de ijs dubitamus, quorum copiam habituri sumus, atq; in orationis progressu, opiniones etiam priscorum adhibeamus, quicumq; de ea aliquid enuntiarunt, vt quæ quidē recte dicta sunt, sumamus, si quid vero non recte, id vitemus. Principium autem huius inquisitionis erit, ea prius ponere quæ maxime ei videntur inesse secundum naturam. Animatum igitur ab inanimato, duobus potissimum differre videtur, motu, & sensu. Accepimus etiam à superioris ætatis Philosophis hæc duo fere de anima. Dicunt enim nonnulli & maximè & primo, animam esse id quod mouet, existimantes autem, quod ipsum non mouetur, non posse mouere aliud, aliquid eorum quæ mouentur, animam esse arbitrati sunt. Quapropter Democritus ignem quendam, & calidum
lidum

lidum eam esse dicit. Cum enim infinitæ sint figuræ & atomi, eas quæ rotundæ sunt, ignem & animam esse asserit: vt in aëre, ea quæ vocantur ramenta, quæ cerni solent in radijs, qui per fenestras introeunt: quarum omnium farraginem, elementa esse ait totius naturæ: pariter etiam Leucippus. Horum autem quæ rotunda sunt esse animam, eò quòd maxime tales figuræ quouis penetrare possunt, & mouere reliqua, cum etiam ipsæ moueantur, existimantes animam esse, id quod præbet animalibus motum. Et proinde viuendi terminum esse respirationem. Cum enim aër ambiens comprimatur corpora, & eas elidat figuras, quæ motum præbent animalibus, quandoquidem nec ipsæ vnquam quiescunt, auxilium ferri extrinsecus, alijs eius generis succedentibus, dum spiritum ducimus: Has enim prohibere quo minus eæ etiam quæ insunt animalibus, excernantur, id repellendo, quod comprimit, ac facit concrefcere, viuereq; , donec possunt hoc facere. Videtur etiam quod à Pythagoreis dici solet, eandem ha-

bere sententiam. Dixerunt enim eorum nonnulli, animam esse ramenta, quæ in aëre videntur: alij, id quod ea mouet, de quibus propterea dictum est, quòd continuè videantur moueri, quamuis sit tranquillitas maxima. Eodem tendunt qui dicunt animam esse, id quod se ipsum mouet. Videntur enim hi omnes existimasse motum rem maxime propriam esse animæ, & alia quidem omnia moueri propter animam, hanc autem à se ipsa: propterea quod nihil videbant mouere quin & ipsum moueatur. Similiter etiam Anaxagoras, Animam esse dicit eam quæ moueat, & si quis alius dixit, Intellectum mouisse hanc Vniuersitatem: non tamen ita planè vt Democritus: Is enim dicit idem simpliciter esse animam & intellectum: Verum enim esse, quod apparet: Et ideo præclare cecinisse Homerum, quod Hector iaceret mentis inops. Non ergo utitur Intellectu, vt potentia quadam circa veritatem, sed idem dicit animam, & Intellectum. Anaxagoras autem non admodum de eis aperte loquitur: multis enim
locis

locis causam eius quod benè rectèq;
 est, intellectum esse asserit. Alibi vero
 idem esse animam, & intellectum:
 Cunctis enim eum inesse animalibus,
 & magnis, & paruis, & nobilioribus,
 & vilioribus. Videtur tamen is quem
 intellectum prudentiæ vocamus, non
 omnibus æque inesse animalibus, im-
 mò ne hominibus quidem omnibus.
 Quicumq; igitur ad motum animati
 respexerunt, hi quod maxime moti-
 uum est, animam esse existimarunt.
 Qui vero ad vim cognoscendi & sen-
 tiendi ea quæ sunt, hi vero asserunt
 animam esse principia: nempe qui
 plura faciunt principia, hæc eadem:
 qui vero vnum, illud idem: Quem-
 admodum Empedocles quidem ex
 elementis omnibus, esse tamen &
 eorum vnumquodq; Animam sic di-
 cens:

Iam Terra Terram iamq; Aequore cernimus

Aequor

Aetheraq; Aethere, sic rutilum ignis conspicit

ignem,

Atq; Cupidinem Amor, tristis lis deniq; litem.

Eodem etiam modo Plato in Timæo
 Animam facit ex Elementis: cognof-

D 5 cinam-

ci namq; simile simili: res autem ex
principijs constare. Similiter etiam in
ijs quæ de Philosophia dicuntur, ex-
positū est: ipsum quidem animal ex
vnius idea, & ex prima longitudine,
& latitudine, & altitudine; cætera ve-
ro similiter. Præterea etiam aliter, vnū
quidem ipsum, intellectum: Duo au-
tem, scientiam. Vnico enim modo ad
vnum: Plani autem numerū, opinio-
nem, solidi sensum: Numeri. n. species
ipsæ, & principia dicebantur, sunt au-
tem ex elementis. Iudicantur vero res
aliæ intellectu, aliæ scientia, aliæ opi-
nionem, aliæ sensu. Hi vero numeri speci-
es sunt rerū. Sed cū anima & mouēdi,
& cognoscendi vi præditum quiddam
videretur, ita nonnulli ex vtrisque con-
nexuerunt, asserueruntq; animā esse
numerum mouentē se ipsum. Contem-
dūt tamē de principijs, quæ sūt. quot-
que sint, præcipue quidem, qui corpo-
rea ea statuunt, cū ijs qui incorporea:
Contra hos autē, qui permiscuerunt,
& ex vtrisque principia enuntiarunt.
De multitudine etiam habent inter se
cōtrouersias: alij enim vnū, alij plura
dicunt. His cōsequenter animā quoq;
descri-

describunt, quod enim natura motiuū est, id inter prima collocandum existimant: neq; adeo iniuria. Quamobrē nonnulli, eam esse ignem putarunt. Is enim & subtilissimarum est partium, & præ cæteris elementis incorporeus: Ad hæc & mouetur, & mouet cætera primo. Democritus autem eo etiā politius loquutus est, q̄ reddiderit causam, cur sit horum vtrumq;: animam enim & intellectum idem esse: hoc autem ex primis esse, & indiuisilib. corporibus: motiuum vero ob exiguitatem partium, & figuram: figurarum autem omnium mobilissimam sphericam dicit: talem autem esse intellectum, & ignem. At Anaxagoras videtur quidem diuersum dicere animam & intellectum, vt prius quoq; diximus, vtitur tamen vtroq; quasi vna natura: nisi quod principium plane omnium statuit intellectum, solum enim ex omnibus entibus simplicem, & non mixtum, & purum eum esse dicit. Tribuit autem hæc vtraq; eidem principio, cognoscere scilicet & mouere, dicens intellectum mouisse rerum vniuersitatem. Videtur etiam
 Thales

Thales ex ijs quæ memorantur, moti-
uum quippiam animam existimasse :
si quidem lapidem illum dixit habere
animam, quia ferrum mouet. Dioge-
nes autem, vt etiam nonnulli alij, aë-
rem, ratus eum esse omnium subtilis-
simum, & principium: & propterea
cognoscere, & mouere animam: qua-
tenus quidem primum est, atq; ex eo
cætera, cognoscere: quatenus vero
subtilissimum, motiuum esse. Hera-
clitus etiam principium esse dicit ani-
mam, siquidem exhalationem, ex
qua cætera conficit: atq; etiam maxi-
me incorporeum, & semper fluens:
Quod autem mouetur, eo quod mo-
uetur, cognosci: in motu autem esse
ea quæ sunt, & ille & vulgo arbitra-
bantur. Similiter etiam ac ij, Alcma-
on putasse de anima videtur Nam as-
serit eam esse immortalem, quod sit
similis Immortalibus: Id vero ipsi
inesse, vtpote ei quæ semper mouea-
tur: moueri autem diuina quoq; om-
nia continue semper, Lunam, Solem,
Sydera, & vniuersum cælum. Non
defuere etiam nonnulli molestiores,
qui aquam assererent, vt Hippo: ad-
ducti

ducti vero videntur ex genitura, quod omnium fit humida: namq; refellit eos qui animam dicunt sanguinem, quia genitura non est sanguis: hanc autem esse primam animam. Alij autem sanguinem, vt Critias, sentire animæ maxime proprium esse existimantes: hoc vero esse propter naturam sanguinis. Enimuero omnia Elementa præter terram, iudicem aliquem nacta sunt: hanc vero nemo protulit, præterquam si quis eam dixit ex omnibus constare Elementis, vel esse omnia. Definiunt porrò omnes animam tribus propè dixerim, motu, sensu, incorporeo: quorum vnum quodque redigitur ad principia. Quapropter qui cognitione eam definiunt, aut elementum, aut ex elementis faciunt, eadem fere omnes, præter vnum, dicentes: aiunt enim simile cognosci simili: nam quia anima omnia cognoscit, ex omnibus principijs eam constituunt. Ac ij quidem, qui vnam dicunt esse causam, & elementum vnū, Animam etiam vnum ponunt, vt ignem, aut aërem. Qui verò plura dicunt principia, animam etiam plura dicunt.

dicunt. Solus autem Anaxagoras impatibilem dicit esse intellectum, & nihil cum cæteris habere commune. Qui cum sit eiusmodi, quomodo cognoscat, & quam ob causam, nec ille dixit, nec ex ijs quæ dicta sunt, apparet. At vero, qui contrarietates in principijs statuunt, animam quoque conficiunt ex contrarijs: qui vero alterum contrariorum, vt calidum, aut frigidum, aut eius generis aliud, ij itidem animam vnum eorum esse ponunt. Ideoq; nomina sequuntur, qui quidem calidum dicunt, propterea ζῆν id est viuere vocari: qui vero frigidum ob respirationem, & refrigerationem, vocari ψυχὴν id est animam. Quæ igitur de anima tradita sūt, atq; quas ob causas ita asserant, hæc sunt.

C A P V T I I I .

PRimum igitur de Motu considerandum est: fortassis enim non solum falsum est talem eius esse substantiam, qualem asserunt, qui dicunt animam esse id quod se ipsum mouet,

mouet, vel potest mouere: Imo vnum
 de impossibilibus est, inesse ei motum.
 Ergo non necesse esse id quod mouet,
 ipsum quoq; moueri, prius dictum
 est. Sed cum bifariam omne mouea-
 tur, vel enim per aliud, vel per se: per
 aliud autem ea moueri dicimus, quæ
 cunq; mouentur, quia in eo quod mo-
 uetur sunt, vt nauigantes, non enim
 similiter mouentur, atq; nauigium:
 id enim per se mouetur, illi vero quod
 in eo sunt quod mouetur, quod in par-
 tibus perspicuum est: proprius nam-
 que motus pedum, est incessus, atq;
 hic idem hominum est: sed tunc non
 adest nauigantibus. Cum inquam
 moueri bifariam dicatur, nunc confi-
 deramus de anima, an per se ipsam
 moueatur, motusq; particeps sit. Cū
 autem quatuor motus sint, latio, al-
 teratio, auctio, & diminutio, aut vno
 eorum mouebitur, aut pluribus, aut
 omnibus: Quod si mouetur non per
 accidens, natura ei inerit motus: sin
 hoc, etiam locus: omnes enim dicti
 motus, in loco sunt. Quod si animæ
 substantia est, mouere se ipsam, pro-
 fecto moueri non per accidens ei in-
 erit,

erit, quemadmodum albo, vel tricolorato: mouentur enim hæc quoque, sed ex accidenti: nam id cui insunt, mouetur, videlicet corpus. Ideoque non est locus ipsorum, at animæ erit, si natura motus est particeps. Item si natura mouetur, & vi etiam moueri possit: & si vi, etiam natura. Eodem etiam modo res habet de quiete: ad quod enim natura mouetur, in eo quoque natura quiescit: similiter etiam ad quod vi mouetur, in eo quoque vi quiescit: Qui autem violenti motus animæ erunt, & quietes, ne si fingere quidem velis, facile describas. Item si sursum mouebitur, erit ignis: si deorsum, terra: hi enim motus, horum corporum sunt. Eadem ratio est de intermedijs. Item quia videtur mouere corpus, consentaneum est, vt ijs illud moueat motibus, quibus & ipsa mouetur. Quod si ita est, etiam facta conuersione dicere verum est, quo corpus mouetur, eo & ipsam moueri, at vero corpus latatione mouetur, quare & anima mouebitur quomodo corpus, aut tota, aut partib. demigrando. Sin autem id fieri potest, fieri etiam po-

iam poterit vt egressa rursus introeat:
 Cui consequens fuerit, vt mortua ani-
 malia resurgant. Motu porrò, qui per
 accidens fit, etiam ab alio moueri pos-
 sit, fieri enim potest, vt vi animal im-
 pellatur: non oportet autem cuius in
 substantia inest, vt à se ipso mouea-
 tur, id ab alio moueri, nisi forte per
 accidens: quemadmodum neq; quod
 per se bonum, aut propter se, id per
 aliud esse, aut alterius causa. Animã
 autem maxime dixerit quispiam à
 sensibilibus moueri, si mouetur. Iam
 vero si mouet ipsa se ipsam, ipsa quoq;
 moueatur. Quare si omnis motus re-
 cessus est eius quod mouetur, quate-
 nus mouetur, anima etiam recedere
 possit ex substantia, si non ex acci-
 denti se ipsa moueat, sed motus sit
 substantiæ ipsius per se. Sunt etiam
 qui dicant animam mouere corpus
 in quo est, vt ipsa mouetur, vt Demo-
 critus, similiter dicens ac Philippus
 Comicus, inquit enim, Dædalum fe-
 cisse ligneam illam Venerem, quæ mo-
 ueretur infuso argento fusili. Simili-
 ter etiam Democritus asserit: inquit
 enim dum mouentur orbes indiuisi-
 biles,

E biles,

biles, eò quod suapte natura nunquã
possint quiescere, secum rapere, &
mouere vniuersum corpus. Nos au-
tem interrogabimus, num illud idem
etiã quiescere faciat? At quo tandem
pacto id faciet, difficile est immo vero
dictu impossibile. Omnino non ita
videtur anima mouere animal, sed ele-
ctione quadam, & intellectuone. Eo-
dem etiam modo Timæus dicit animã
mouere corpus: quod enim ipsa mo-
ueatur, corpus etiam mouere, propte-
rea quod connexa sit cum ipso: con-
stantem enim ex Elementis, & distin-
ctam harmonicis numeris, vt insitum
sensum harmoniæ habeat, vtq; vni-
uersum feratur consonis lationibus,
rectitudinem in orbem torfit, & cum
diuisisset vnum in duos Circulos, duo-
bus punctis connexos, rursus vnum
diuisit in septem Circulos, vtpote cū
Cæli lationes, sint Animæ motus. Pri-
mum igitur non recte habet, dicere
animam esse magnitudinem. Animam
enim vniuersi nimirum talẽ esse vult,
qualis est qui vocatur intellectus:
non enim qualis sensitua est, neque
qualis concupiscitiua: Harum enim
motus

motus non est conuersio. Intellectus autem vnus est, & continuus, vt etiam intellectio: Intellectio autem est ea quæ intelliguntur: quæ quia deinceps sunt, vnum sunt vt numerus, & non vt magnitudo. Quam ob rem nec intellectus hoc pacto continuus est, sed aut carens partibus, aut non vt magnitudo aliqua continuus, nam quo tandē pacto, si magnitudo sit, qualibet suarum intelliget partium? atque adeo partium, quæ vel in magnitudine, vel in puncto consistant: si modo oporteat id quoque partem vocare. Si igitur puncto, ea autem sunt infinita, constat eum nunquam pertransiturū: si in magnitudine, sæpius aut infinities idem intelliget, cum tamen videatur vel semel fieri posse. Quod si sat sit tangere qualibet partium, quid oportet in orbē moueri, aut omnino magnitudinem habere? si necessarium est intelligere toto circulo tangentem quænam erit tactio quæ partibus fit: Item quomodo intelliget partibile impartibili, aut impartibile partibili? Necessarium porro est, intellectum esse circulum hunc. Nam motio intelle-

ctus, intellectio est: circuli vero circunuectio. Ergo si intellectio est circunuectio, & circulus etiam erit intellectus, cuius talis circunuectio intellectio est. Iam vero semper aliquid intelliget: & quidem oportet, si quidem perennis est circunuectio. Actuarum enim intellectionum termini sunt: omnes enim alterius gratia sunt. Contemplatiuæ etiam à rationibus terminantur: Ratio enim omnis, vel definitio est, vel demonstratio. Demonstrationes vero & à principio sunt, & habent quodammodo finem syllogismum, aut conclusionem, quod si non terminantur, at saltem non retro comitant ad principium, sed medium semper & extremum adhibentes, recta progrediuntur: at circunuectio retrò ad principium comitant. Definitiones etiam omnes terminatæ sunt. Item si sæpius eadem fiat circunuectio, sæpius idem intelligere oportebit. Item, intellectio similis est quieti potius cuidam & statui. Eodem etiam modo syllogismus. Quin ne beatum quidem est, quod non facile, sed violentum est. Quod si est

est motus eius non substantia, utique præter naturam mouebitur. Laboriosum etiam est, coniunctum esse cum corpore, nec posse ab eo solui: & insuper etiam fugiendum: si quidē melius est intellectui non esse cum corpore: quemadmodum dici solet, & inter plerosq; conuenit. Incerta est etiam causa, cur cœlum circumferatur: neque enim animæ substantia, causa est quamobrem circumferatur, sed per accidens ita mouetur: neque corpus est causa, sed illi potius anima. Neque vero quod melius dicatur: atqui oportebat Deum propterea facere animam circumferri, quod melius sit ei moueri, quam stare: & ita moueri, quam aliter. Sed quoniam hæc consideratio alijs est disputationibus accommodatior, eam in præsentia prætermittamus. Illud autem absurdum accidit & huic sermoni, & plurimis eorum qui de anima haberi solent: Compingunt enim & immittunt in corpus animam, nihil præterea distinguentes, quam ob causam & quomodo se habēte corpore, quod tamen necessarium esse videatur. Nā

propter communionem hoc agit, illud patitur : atq; hoc mouet, illud mouetur. Horum autem nihil adest inter se quibuslibet. Hi vero solum aggrediuntur dicere, quale quid sit anima : de recepturo autem corpore , nullam addunt distinctionem : quasi possibile sit , secundum Pythagoricas fabulas , quamlibet animam , quodlibet corpus ingredi. Simile ergo quidpiã dicunt, vt si quis dicat artem fabrilem in tibias ingredi. Oportet enim artem quidem vti instrumentis , animã vero corpore.

C A P V T I I I I .

T Raditur etiam alia quãdam de anima opinio , probabilis illa quidem multis, & nulla earum inferior quã circumferuntur : quã tamen veluti ij qui magistratu abissent, etiam in communibus disputationibus rationes retulit. Harmoniã enim quãdam eam nonnulli dicunt: etenim harmoniam temperationem , & compositionem esse contrariorum, & corpus constare

constare ex contrarijs. Atqui Harmonia ratio quædam est commixtorum, vel etiam compositio: Anima autem, neutrum horum esse potest. Præterea mouere non est harmoniæ: quod tamen omnes ferè dixerim, animæ potissimum tribuunt. Magis autem quadrat dicere, harmoniam de sanitate, & omnino de corporeis virtutibus, quam de anima. Quod apertissimum erit, si quis tentauerit attribuere affectus, & munera animæ alicui harmoniæ: difficile enim est accommodare. Præterea si dicamus harmoniam ad duo spectantes, proprijs quidem in magnitudinibus ijs quæ habent motum & positionem, compositionem earum: cum adeo herent, vt nihil prorsus eiusdem generis admittant: atq; hinc etiã permixtorum rationem, profecto neutro quidem modo rationi consentaneũ fuerit. Partium tamen compositio nullo negotio refelli potest: multæ enim compositiones sunt partium, eæq; variæ. Cuius igitur, aut quo tandem pacto existimare oportet intellectum esse compositionem, aut etiam sensi-

E 4 tium

tium, aut appetitium? Pari quoque modo absurdum est animam esse permixtionis rationem: non enim eandem obtinet rationem elementorum permixtio, qua caro, & qua os permixtum est, itaque fiet ut multas habeat animas, easque per vniuersum corpus, si quidem omnia ex elementis permixtis sunt: ratio vero permixtionis harmonia est, & anima. Hoc etiam aliquis ab Empedocle peteret: nam vnumquodque eorum, ratione quadam constare dicit: Vtrum igitur anima est ratio, an potius, cum aliquid aliud sit, membris accedit? Ad hæc, vtrum amor cuiuslibet permixtionis est causa. an eius quæ in ratione consistit? Atque hæc eadem vtrum ratio, an aliquid aliud est præter rationem? Ac de ijs quidem, eiusmodi dubitationes oriuntur. Quod si anima diuersum est à permixtione, cur vnà cum carne esse, reliquis etiam animalis partibus tollitur? Ad hæc, si non vnaquæque partium habet animam, si non est anima ratio permixtionis, quid est quod abscedente anima corrumpitur? Nec igitur Harmoniam posse

posse esse animam, neq; in orbem ferri, perspicuum ex dictis est: moueri tamen, & mouere se ipsam per accidens, vt diximus, potest: verbi causa moueri quidem id in quo est, atq; id demum moueri ab anima. Alio autem modo haudquaquam fieri potest vt loco moueatur. Sed aptius de ipsa quærat quispiam, vt de ea quæ moueatur, ad hæc animaduertens. Dicimus enim animam angi, lætari, confidere, timere: ad hæc, irasci, sentire, ratiocinari, quæ omnia esse motus videntur. Quamobrem eam aliquis moueri putauerit. Quod tamen non est necessarium: Nam tametsi vel maxime angi, vel lætari, vel ratiocinari, motus sunt, atq; horum vnum quodq; est moueri: tamen moueri ab anima est, vt irasci, vt timere, eo quod cor ita mouetur: Ratiocinari autem, aut eiusmodi fortassis est, aut aliquid quidpiam. Horum autem partim eueniunt, dum latione aliqua mouentur: partim dum alteratione: Quæ nam porrò illa sint, & quomodo, id aliò pertinet. Dicere autem irasci animam vel timere, simile est atq; si quis dicat

animam texere vel ædificare : melius enim fortassis est , non dicere animam misereri, aut discere, aut ratiocinari : sed hominem animâ. Quod non ita intelligendum est, quasi motus in illa sit : sed interdum quidem vsq; ad illam : interdum vero ab illa. Verbi causa, sensus quidem ex his, recordatio vero ab illa , ad eos motus siue mansiones , quæ sunt in sensuum instrumentis. Intellectus autem videtur accedere , ac substantia quædã esse, nec interire : nam ab ea potissimum hebetatione quæ in senio fieri solet, labefactaretur. Nunc vero vt in sensorijs euenit : nam senex nactus oculum talem, videbit utiq; sicut & iuuenis. Quare senectus non est , eò quod anima aliquid sit passa, sed id in quo : quemadmodum in ebrietatibus fit, & in morbis. Itaq; & intelligere, & contemplari languescit, dum aliud quidpiam intus corrumpitur : at ipsum, impatibile est. Ratiocinari autem , & amare vel odisse, non sunt illius passionis, sed eius quod habet illud , quatenus illud habet. Itaq; hoc corrupto , nec meminit , nec amat ;
non

non enim illius erant, sed communis illius, quod interijt: Intellectus autem fortasse diuinius quiddam est, & impatibile. Ex his igitur animam moueri non posse, perspicuum est. Quod si omnino non mouetur, constat eam neq; à se ipsa moueri posse. Sed multo magis, quam quæ dicta sunt à ratione distat, dicere animam numerum se ipsum mouentem: adsunt enim his impossibilia. Primum, quæ ex ipso moueri accidunt: deinde, peculiaris quædam, ex eo scilicet quod dicant eam esse numerum. Quomodo enim oportet intelligere unitatem quæ moueatur, & à quo, & quomodo: cum impartibilis sit, & nullam habeat differentiam? Nam si est motiua, & mobilis, differre eam oportet. Item quia dicunt motam lineam planum facere: punctum vero lineam: & unitatum etiam motus erunt lineæ. Punctum enim, unitas est positionem habens: numerus verò animæ alicubi tandem est, & positionem habet. Item si à numero, quispiam numerum vel unitatem auferat, relinquitur alius numerus: at vero plantæ & plæraq; animal-

malium si secentur, viuunt, & eandem specie habere animam videntur. Nihil autem referre videatur, siue vnitates, siue parua corpuscula dicantur: Etenim ex Democriti sphaerulis si fiant puncta, modò sola maneat quantitas, erit in ipsa quidpiam quod moueat, & quidpiam quod moueatur, quemadmodum in magnitudine: neque enim quod magnitudine differant aut paruitate, quod dictum est euenit, sed quia quantum sunt: Itaq; necessarium est adesse aliquid, quod sit moturum vnitates. Quod si in animali id quod mouet anima est, etiam in numero. Quare non quod mouet, & quod mouetur, anima est: sed id duntaxat quod mouet. Iam vero qui fieri potest vt ea sit vnitas? oportet enim aliquam eius esse differentiam ab alijs: at puncti monadici quænam fuerit differentia, nisi positio? si igitur vnitates siue puncta quæ sunt in corpore diuersa sunt, in eodem erunt vnitates: occupabit enim locum puncti. Atqui si duo in eodem sunt, quid obstabit, cur non etiam infinita sint? Quorum enim locus est indiuisibilis, & ipsa

& ipsa itidem. Quod si puncta ea, quæ sunt in corpore sunt numerus is, qui animæ est: vel si numerus constans ex punctis ijs quæ in corpore sunt, anima est, cur non omnia habent animam corpora? in omnibus enim puncta esse videntur, eaq; infinita. Præterea qui fieri potest, vt puncta separantur ac soluantur à corporibus, si quidem non diuiduntur lineæ in puncta? Accidit autem quemadmodum diximus vt partim idem dicant quod ij qui corpus quoddam subtilium partium ipsam statuunt: partim vt Democritus ab anima dicit moueri, peculiare absurdum. Nam si anima est in quaq; parte eius quod sentit, necesse est in eodem duo esse corpora, si anima corpus aliquod est. Ijs autem qui numerum dicunt, in vno puncto, multa esse puncta, aut omne corpus animam habere. Si non aliquis differens numerus accedit, atq; diuersus à punctis ijs quæ in corpore sunt. Accidit etiam, vt animal moueatur à numero, vt etiam Democritum diximus illud mouere. Quid enim interest, siue parua sphaera dicantur, siue vnitates magna

magnæ, aut deniq; vnitates quæ ferantur? Nam vtroq; modo, necesse est moueant animal, eò quod ipsæ moueantur. Ac ijs quidem qui simul connexerunt numerum & motum, & hæc, & plæraq; id genus alia contingunt, neq; enim solum fieri potest vt aliqua animæ definitio eiusmodi sit, verum ne quidem accidens. Quod perspicuum fuerit, si quis ex ratione hac, affectus, & munera animæ aggrediatur describere, vt cogitationes, sensus, voluptates, dolores, cæteraq; generis eiusdem: Vt enim superius diximus, ne diuinare quidem ex ipsis facile est. Cum autem tres modi tradantur quibus definiunt animam, partim illorum maxime motiuum assererunt, eò quod se ipsa moueat: partim corpus tenuissimarum partium, aut quod maxime inter cætera incorporeum est, quæ quas dubitationes repugnantiasq; habeant fere persecuti sumus.

C A P V T V.

Restat

R Estat considerandum, quomodo dicitur ex elementis eam constare: dicunt enim, ut sentiat ea quæ sunt, & vnumquodq; cognoscat. Cui quidem sententiæ, multa eaq; impossibilia accidant necesse est. Ponunt enim cognoscere simile simili, quasi animam res ipsas ponentes. Atqui certè, non hæc sola sunt, sed plæraq; etiã alia: immo innumera fortasse, quæ ex eis constant. Ea igitur ex quibus est horum vnumquodq;, esto, cognoscat anima & sentiat, at compositum quo cognoscat, aut sentiet? ut quid **D E V S**, aut homo, aut caro, aut os? Similiter etiam quiduis aliud compositorum? neq; enim eorum vnumquodq; est elementa quouis modo se habentia, sed ratione quadam & compositione, quemadmodum Empedocles dicit os?

*As̄ partes liquidi splendoris Dædala tellus
Ex octogeminas, patulis fornacibus hausit:
Bis geminasq; ignis: sunt ossa hinc alba
creata.*

Nihil igitur prodest elementa esse in anima, nisi & rationes insint, & compositio: nam vnumquodq; cognoscat
sui

fui simile : os autem vel hominem , nihil, nisi & hæc insint : quod fieri non posse, nihil attinet dicere. Quis enim ambigat , an insit in anima lapis aut homo ? itemq; bonum & non bonū ? sic etiam in alijs. Præterea vero cum eas multifariam dicatur (significat enim partim hoc aliquid, partim quantum , aut quale , aut aliud quidpiam explicatorum prædicamentorum) vtrum ex omnibus erit anima an non ? atqui non videntur communia omnium esse elementa : num igitur ex his constat solis, quæ substantiarū sunt ? quo nam ergo pacto cæterorum vnumquodq; cognoscit ? An dicent cuiusq; generis esse elementa, & principia propria, atq; ex eis animā constare ? erit ergo & quantum, & quale, & substantia : atqui fieri non potest, vt ex quantitatis elementis substantia sit, & non quantitas. His igitur qui dicunt ex omnibus, hæc, & huiusmodi alia accidunt. Absurdum est etiam dicere simile quidem non pati à simili : simile vero sentire simile, & cognoscere simile simili : & tamen illud sentire, pati quoddam & moueri statu-

statuunt: Itemq; intelligere, & cognoscere. Cum autem multæ dubitationes ac difficultates oriantur, si quis vt Empedocles, dicat corporeis elementis singula cognosci, & ad simile, fidem facit quod nunc dictum est, quæcunq; enim insunt in animalium corporib. quæ simpliciter terræ sunt, vt ossa, vt nerui, vt pili, nihil videntur sentire: quamobrem nec similia: & tamen oporteret. Præterea vnicuique principiorum plus ignorationis, quam cognitionis inerit. Vnumquodque enim vnum cognoscet, plæraque verò ignorabit: siquidem cætera omnia. Accidit etiam Empedocli DEVM esse insipientissimum: solus enim hoc vnum elementorum non cognoscet, nempe discordiam: mortalia vero, res omnes: ex omnibus enim constat vnumquodq;. Deniq; cur non omnia quæ sunt habent animam, cum quodq; aut elementum sit, aut ex elemento vno, aut pluribus, aut omnibus? Necessè est enim vnumquidpiam cognoscere, aut nonnulla, aut omnia. Quæret præterea quispiam, quid nam sit quod ea vnum efficiat?

F materia

materiae enim similia sunt elementa : Potissimum enim est id quod continet , quidquid id tandem sit : at anima aliquid esse potius, aut dominans, impossibile est : longe etiam impossibilius intellectu. Maxime enim rationi consentaneum est eum longissime antecedere, & natura esse potiore, & tamen elementa dicunt prima entium esse. Omnes autem, tum ij qui eo quod cognoscat & sentiat ea quae sunt, ex elementis eam constare dicunt: tum qui maxime motuum eam esse censent, non de omni loquuntur anima : Neq; enim, in omnibus ijs quae sentiunt, motus est : Apparet enim nonnulla esse animalia, quae in eodem loco semper manent. Atqui hoc solo motu anima mouere animal videtur : similiter etiam quicumq; intellectum, & sensituum ex elementis faciunt : nam & plantae videntur vivere, cum tamen nec lationis, nec sensus participes sint : nec non animalium complura rationem non habere. Quod si quis haec quoq; concesserit, posueritq; intellectum partem aliquam animae, itemq; sensituum, ne sic quidem di-

dem dicent vniuersè de omni anima :
 Imò ne de vna quidem tota. Hoc et-
 iam ipsum accidit ei sententiæ, quæ
 circumfertur in Orphicis carminib.
 Dicit enim, animam ex vniuerso in-
 gredi, cum spiritum trahimus, dela-
 tam à ventis. Quæ res nec plantis,
 nec animalium quibusdam continge-
 re potest, si quidem non omnia spi-
 rant: Quod tamen fugit eos qui ita
 existimant. Cæterum si ex elementis
 animam facere oportet, non est opus
 ex omnibus, sufficit enim altera pars
 contrarietatis, ad se ipsam diudican-
 dam, & oppositam: recto enim tum
 hoc ipsum, tum obliquum cognosci-
 mus: norma enim vtriusq; iudex est:
 obliquū vero, nec sui, nec recti. Sunt
 etiam qui in vniuerso mixtam esse eā
 dicant: quocirca fortè etiam Thales
 cuncta esse plena Deorum putauit.
 De quo quæstiones oriuntur nonnul-
 læ. Cur enim in aëre aut in igne si in-
 est anima, non facit animal, sed in
 mixtis? Idq; cum præstantior in eis
 esse videatur? Quærat præterea quis-
 piam, cur anima quæ est in aëre, ea
 quæ est in animalibus præstantior est,

& immortalior? Accidit autem vtrique absurdum quiddam, & alienum à ratione: etenim dicere ignem vel aërem esse animam, à ratione discrepat: nec dicere animalia, cum anima insit, absurdum est. Existimasse autem videntur, animam his inesse, quoniam totum, atque partes eiusdem sunt speciei, quare fateri compelluntur animam ac partes eiusdem esse speciei, si eo quod in animalibus intercipiatur aliquid ambientis, animata animalia fiant, quod si aër quidem descriptus eiusdem est speciei, animam autem dissimilarium partium pars quaedam eius inerat, scilicet, quaedam non inerat: Necessesse ergo est, ipsam aut similiarium esse partium, aut non inesse in qualibet totius parte. Perspicuum igitur ex dictis est, cognoscere, non ideo inesse animæ, quod constat ex elementis: nec eam moueri, recte ac vere dici. Quoniam autem animæ est cognoscere, & sentire, & opinari: ad hæc cupere, & deliberare, & omnino appetitus: Fitque præterea motus loci animalibus ab anima, itemque auctio, & status, & diminutio: vtrum
toti

toti animæ horum vnumquodq; inest, & tota ipsa intelligimus & sentimus, & aliorum vnumquodq; agimus, & patimur, an partib. alijs alia? Iam verò, viuere vtrum in aliquo horum est, an in pluribus, an in omnibus? an etiã alia quædam causa est? Equidem sunt qui eam asserant esse partibilem, atq; alia parte intelligere, alia cupere. Ergo quid tandem est quod animam contineat, si partibilis est? profectò non corpus: videtur enim contra potius anima corpus continere: egressa enim ea, euanescit putrescitq;. Si ergo aliud quidpiam vnã eam faciat, illud maxime fuerit anima. Sed rursus oportebit illud etiam quærere, vtrum vnum, an multarum sit partium: nam si vnum, cur non protinus animam quoq; vnum esse censendum est? si partibile, rursus ratio quæret, quid sit quod illud contineat: atq; ita demum procedet in infinitum. Quin etiam de eius partibus quærat quispiam, quam quæque habeat in corpore potentiam. Si enim tota anima totum corpus continet, conuenit etiam vt pars quæq; partem

F 3 aliquam

aliquam corporis contineat, quod simile est impossibili. Quam nanq; partem, vel quomodo, Intellectus continebit, vel fingere difficile est. Videntur etiam plantæ, si secentur, viuere, & animalium nonnulla insectorum, vt potè quæ eandem specie animam habeant, tametsi non numero: Vtraq; enim partiū sensum habet, & aliquādiu loco mouetur. Quod si non perseuerant, nullum absurdum est, nō enim habent organa, quibus conferuent naturam: sed nihilominus in vtraq; partium omnes insunt partes animæ, ac eiusdem speciei inter se sunt, & cum tota: inter se quidem, vtpotè non separabiles: cum tota vero anima, vt quæ diuisibilis est. Videtur etiam principium, quod inest in plantis, anima esse quædam. Hæc enim sola plantarum & animalium communis est: Atque ea quidem separatur à sensitiuo principio: at vero sine ea, nihil est quod sensum habeat.

Aristo-

41

ARISTO
TELEIS DE
ANIMA.

Liber Secundus.

CAPVT I.



VAE IGITUR à superioribus de Anima tradita sunt dicta sint. Rur- sus autem tanquã ab initio reuerta- mur, conantes ex- plicare quid sit anima, & quænam fuerit communif- sima ratio eius. Dicimus ergo, vnum quoddam genus eorum quæ sunt, sub- stantiam: Huiusq; , aliud vt materi- am, quod ex se quidem non est hoc aliquid: aliud formam & speciem, ex qua demum dicitur hoc aliquid: & tertium, quod ex eis constat. Est au- tem materia quidem, potentia: spe-
F 4 cies

cies verò, endelechia : & hoc bifariam aliud vt scientia, aliud vt contemplari. Porro autem corpora, potissimum esse substantiæ videntur, & ex his, ea quæ naturalia sunt: hæc enim cæterorum sunt principia : Naturalium autem, alia habent vitam, alia non habent: vitam vero dicimus nutritionem quæ per se ipsum fit, & auctiorem, & diminutionem: Itaq; omne corpus naturale vitæ particeps, substantia fuerit, & ita substantia, vt composita. Quoniam autem corpus est tale, nempe vitam habens, equidem non fuerit corpus anima: non enim eorum quæ sunt de subiecto corpus est, sed potius vt subiectum & materia. Necessè est ergo, animam esse substantiam, vt speciem corporis naturalis vitam habentis. Hæc vero substantia est actus, ergo talis corporis est actus: hic autem bifariam dicitur, partim vt scientia, partim vt contemplari. Constat ergo eam esse vt scientiam: ex eo enim quod est anima, & somnus, & vigilia est: proportione autem respondet vigilia quidem ipsi contemplari: somnus autem ipsi habere

bere & non operari. Prior autem generatione in eodem scientia est: quapropter, anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis: cuiusmodi est quodcunq; fuerit organicum. Sunt porrò plantarum quoq; partes organa, sed planè simplicia: vt folium integumentum est pulpæ, quæ semen complectitur: pulpa autem feminis: radices vero ori proportione respondent, vtraque enim attrahunt alimentum. Ergo si quid commune de omni anima fit dicendum, ea fuerit, Actus primus corporis naturalis organici. Idcirco non oportet quærere an vnum sit anima & corpus, quemadmodum neq; ceram & figuram, nec deniq; vnus cuiusq; materiam, & id cuius est materia: vnum enim & esse cum multifariam dicatur, quod propriè est, actus est. Vniuersè igitur dictum est quid sit anima: nempe substantia ea, quæ in ratione consistit: quod quidem est Quid erat esse tali corpori: veluti si quod instrumentū esset naturale corpus, verbi causa securis: esset enim securi esse substantia eius & anima.

Hoc: ea enim separata, non amplius
esset securis, nisi æquiucè: nunc ve-
ro est securis: non enim eiusmodi cor-
poris Quid erat esse & ratio, est ani-
ma, sed naturalis, talis scilicet quod
in se motus statusq; principium ha-
beat. Hoc vero quod diximus in par-
tibus etiam considerasse non ab re
fuerit: nam si oculus esset animal,
perfecto anima ei esset visus: is enim
est oculi substantia quæ in ratione
consistit: oculus autem materia est
visus, quo deficiente non est amplius
oculus, nisi æquiucè, quemadmo-
dum lapideus & pictus. Ergo quod
parti alicui conuenit, in totum uiuens
corpus est transferendum: propor-
tione namq; respondet, vt pars ad
partem, sic totus sensus ad totum cor-
pus sensitium, quatenus eiusmodi
est. Cæterum quod amisit animam,
non est id quod potentia est ad uiuen-
dum, sed quod habet: semen vero &
fructus id sane est, quod potentia est
tale corpus: ergo vt sectio & visio, sic
vigilia est actus: vt vero visus & po-
tentia organi, sic anima est: corpus
autem est id quod potentia est: verum
vt pu-

vt pupilla & visus, est oculus, ita etiam illic, anima & corpus, est animal. Animam igitur non esse separabilem à corpore, aut partes quasdam eius si partibilis est, non est obscurum: quarundam enim actus partium est ipsarum: nihil tamen obstat quominus aliquæ sint, propterea quod nullius sunt corporis actus. Incertum autem adhuc est, an anima ita sit actus corporis, veluti nauta nauigij. Ac de anima quidem adumbratione quadam sic explicatum descriptumq; sit.

CAPVT II.

QVoniam autem ex obscuris quidem sed manifestioribus, nascitur id quod manifestum & ratione notius est, hoc eodem pacto rursus de ea differere conandum est: neq; enim solum ipsum Quod definitiuam rationem aperire oportet, vt plurimæ definitiones explicant, verum etiam causam inesse & apparere: alioqui, quasi conclusiones orationes definitionum sunt, vt quid est quadratio?
æquale

æquale ei quod altera parte est longius, rectangulum fieri æquilaterum: quæ sanè definitio, ratio est conclusionis, at vero quæ quadrationem dicit esse mediæ inuentionem, ea rei causam dicit. Dicamus igitur initio considerationis accepto, Animatum distinctum esse ab inanimato ipso viuere: cum autem pluribus modis viuere dicatur, si vel vnum duntaxat horum insit, viuere ipsum dicimus: vt intellectus, & sensus, & motus, & status loci: motusq; item alimenti, & diminutio & auctio. Quamobrem & quæ terra gignit, omnia videntur viuere: apparet enim, ea in se ipsis eiusmodi habere potentiam & principium, quo auctionem & diminutionem contrarijs capiant locis: neq; enim sursum versus augentur: deorsum non item: sed peræq; in vtramq; partem & vndiq;: semperq; nutriuntur ac pergunt viuere, dum possunt capere alimentum. Atq; id quidem ab alijs separari potest: cætera vero ab hoc non possunt in mortalibus: quod perspicuum est in ijs quæ ex terra oriuntur: nulla enim alia inest eis animæ potentia

tentia. Ac viuere quidem ob hoc principium adest omnibus uiuentibus. Animal autem est ob sensum primò : etenim quæ non mouentur, neq; mutant locum, sensum tamen habent, ζῷα, id est animalia dicimus, & non ζῆν, id est viuere solum. Ex sensibus autem primò inest omnibus tactus : atq; vt nutrimentum potest separari à tactu & omni sensu, sic tactus à cæteris sensibus. Nutritiuum verò eam partem animæ dicimus, cuius etiam plantæ participes sunt : animalia autem omnia videntur tangendi sensum habere. Causam autem cur vtrumq; horum eueniat, post dicemus : nunc hoc tantum dictum sit, Animam esse principium eorum quæ diximus, & his definitam esse : nutritiuo, sensitiuo, dianoëtico, motu. Vtrum autem vnumquodq; horum sit anima, an pars animæ : & si pars, vtrum ita, vt sit separabilis ratione solum, an etiã loco, de nonnullis non est videre difficile : de aliquibus est quæstio. Vt enim in plantis, sunt quæ cum secantur, & pars alia ab alia separatur, videantur viuere, vtpotè cum anima
quæ

quæ in eis est vna in vnaqua; planta
fit, potentia vero plures: sic etiam in
alijs animæ differentijs videmus fieri,
vt in ijs infectis, quæ inciduntur: ete-
nim sensum vtraq; partium habet, &
motum loci. quod si sensum, & phan-
tasiam etiam, & appetitum: vbi enim
sensus est, & dolor & voluptas conse-
quitur: vbi autem hæc sunt, necessa-
rio etiam cupiditas. De intellectu
verò & contemplatiua potentia non-
dum quidquam est manifestum, sed
videtur animæ genus diuersum esse,
idq; solum posse separari, quemad-
modum æternum à corruptibili. Cæ-
teras autem partes animæ, ex his per-
spicuum est non esse separabiles, vt
nonnulli dicunt: quas tamen diuer-
sas esse ratione perspicuum est: sensi-
tiuo enim esse, & opinatiuo, diuersum
est: si quidem & sentire, ab opinari:
itemq; cæterorum quæ diximus vnū-
quodq;. Præterea vero nonnullis ani-
malibus hæc adsunt omnes: in quibus-
dam nonnullæ: in alijs vna duntaxat.
Quæ res facit differentiam animalium.
De causa vero post considerabi-
mus. Simile quiddam in sensibus e-
uenit:

uenit: quædam enim habent omnes,
 quædam nonnullos: quædam vnū qui
 maxime necessarius est, tactum. Quo-
 niam autem id quo viuimus & senti-
 mus duobus modis dicitur, quemad-
 modum id quo scimus: horum autem
 vnum dicimus scientiam, alterum ani-
 mam, nam vtroq; eorum scire dici-
 mus: similiter etiam id quo sani su-
 mus, tum sanitate, tum parte aliqua
 corporis, vel etiam toto: horum au-
 tem scientia quidem & sanitas, forma
 est, & species quædam, & ratio, & ve-
 luti actus receptiuorum, illa quidem
 eius quod scire, hæc vero eius quod
 sanari potest: videtur enim in eo
 quod patitur, atq; afficitur effectiuo-
 rum inesse actus, Anima vero id est
 quo viuimus & sentimus & *διανοούμεθα*
 primò, profecto anima ratio quædam
 erit & species, non autem vt materia
 & subiectum. Cum enim tribus mo-
 dis substantia dicatur, vt diximus:
 quorum aliud est species, aliud ma-
 teria, aliud id quod ex vtrisque constat:
 atq; horum quidem materia est po-
 tentia, species autem actus, cum id
 quod ex ambobus constat animatum
 sit,

fit, profecto corpus non est actus animæ, sed ipsa corporis cuiusdam. Quamobrem probè censent ij, quibus videtur neq; sine corpore esse, neq; corpus aliquod anima, corpus enim non est, sed corporis aliquid: & propterea inest in corpore, & in corpore tali: & non quemadmodum superiores in corpus eam conijciebant, nulla præterea addita distinctione, in quonam illo, & quali: præsertim cum non videatur quodlibet recipere quodlibet. Hoc autem pacto res ratione procedit: vniuscuiusq; enim actus in eo quod est potentia, & in sua ac idonea materia, natura comparatum est, vt fiat. Animam ergo actum esse quendam, & rationem eius quod habet potentiam vt tale sit, ex his perspicuum est.

C A P V T III.

Potentia porro animæ quas commemorauimus, in alijs insunt omnes: in alijs nonnullæ earum: in aliquibus vna duntaxat. Potentias autem di-

tem diximus, nutritium, sensitium, appetitium, motium motu loci, dianoëticum. Ac plantis quidem adest tantummodo nutritium, alijs autem tum hoc, tum etiam sensitium: quod si sensitium, & appetitium etiam: appetitus enim, cupiditas est, & ira, & voluntas. Cuncta autem animalia vnum habent ex sensibus, tactum. Cui autem sensus inest huic & voluptas, & dolor, & iucundum, & molestum: in quibus autem hæc insunt, & cupiditas inest: hæc enim est appetitus iucundi. Præterea vero sensum habent alimenti: nam tactus, sensus est alimenti: cuncta enim viuientia siccis aluntur, & humidis, & calidis, & frigidis: quorum sensus tactus est: cæterorum autem sensibilem per accidens: nihil enim ad alimentum confert sonus, nec color, nec odor, sapor autem vnum quoddam est de tangibilibus: fames vero & sitis cupiditas est: ac fames quidem calidi & sicci: sitis vero frigidi & humidi: porrò sapor est veluti quoddam eorum condimentum. Sed de ijs postea dilucidius agendum est: nunc hoc tan-

G

tum di-

tum dictum sit, quod animalibus habentibus tactum, appetitus quoque inest: de phantasia autem non patet, sed post considerandum est. Quibusdam autem præter hæc, inest etiam motuum motu loci: alijs autem & dianoëticum, & intellectus, ut hominibus, & si quid extat eius generis aliud, vel etiam nobilius. Perspicuum igitur est, perinde unam esse animæ rationem, atq; figuræ, neq; enim illic figura vlla est præter triangulum, & eas quæ deinceps sunt: neq; hic anima vlla, præter eas quæ dictæ sunt. Fieri tamen poterit, & in figuris ratio communis, quæ omnibus quidem congruat, propria autem nullius sit figuræ: similiter etiam in dictis animalibus. Idcirco ridiculum est, & in his & in cæteris communem quærere rationem, quæ nullius eorū quæ sunt erit propria ratio, neq; ex propria & indiuidua specie, hac tali prætermissa ratione. Quemadmodum autem in figuris, sic etiam in anima res habet: semper enim in eo quod est deinceps, inest potentia id quod prius est, tum in figuris, tum in animatis: ut in quadrato

drato triangulus, in sensitiuo nutritiuum. Quare sigillatim quærendum, quæ cuiusq; sit anima, verbi gratia quæ plantæ, quæue hominis vel bestia. Cur autem deinceps sic se habeant, considerandum est, Nam sine nutritiuo, sensitium non est: à sensitiuo autem, separatur nutritium in plantis: rursus sine tactiuo, nullus aliorum est sensuum: tactus vero sine alijs est: plæraque enim animalia neq; visum, neq; auditum, neq; odoris planè sensum sortita sunt. Inter sensitua etiam sunt, quæ habeant motuum, motu loci: sunt & quæ non habeant: Ultima autem & minima, rationem & dianœam: in quibus enim mortalium inest ratio, ijs quoq; reliqua omnia insunt: in quibus autem vnumquodq; illorum, in ijs non omnibus inest ratio: sed quibusdam nephantasia quidem: quædam, hac sola viuunt. De contemplatiuo autem intellectu, alia est ratio. Ac disputationem quidem de vno quoq; horum maxime etiam ad animam pertinere perspicuum est.

C A P V T I I I I .

NEcesse autem est, cum qui de his consideraturus est, sumere quid quodq; eorum sit, atq; tunc demum de his quæ proxima ab his sunt, ac de reliquis exquirere, quod si oportet dicere quod quodq; ipsorum sit, vt quid intellectiuum, aut sensitiuum, aut nutritiuum, multo ante dicendum est quid sit intelligere, & quid sentire: nam operationes & actiones, potentijs ratione sunt priores: quod si ita est, ac obiecta etiam multo prius quã hæc oportet considerasse, profectò de illis primum ob eandem causam differendum fuerit: vt de alimento, & de sensibili, & de intelligibili. Quare primum de alimento & de generatione dicendum est. Nam nutritiua anima & cæteris inest, & prima & maxime communis est animæ potentia, ex qua inest viuere in omnibus: cuius officia sunt, generare & alimento vti: hoc enim est maxime naturale inter omnia officia viuentium, quæ perfecta sunt, & non mutila, aut sponte sua

sua nascantur, procreare aliud quale ipsum est: animal, animal: planta, plantam: vt æternitatem & diuinitatem participant quoad possunt: cuncta enim illud appetunt, & illius causa agunt, quæcunq; secundum naturam agunt. Id autem cuius causa res est, duplex est, vnum, Cuius, alterū, Cui. Ergo quia participare nequeunt æternitatem, & diuinitatem continuatione (quia fieri non potest vt corruptibilium quicquam idem & vnum numero permaneat) quoad eorum vnumquodq; participare potest, eatenus participat: aliud magis, aliud minus: & permanet non ipsum, sed quale ipsum est: numero quidem non vnum, specie vero vnum. Est autem anima viuentis corporis causa & principium: hæc autem multifariam dicuntur. Anima item tribus illis expositis modis, causa dicitur: etenim vnde motus, & cuius causa, & vt substantia animatorum corporum, anima causa est. Constat igitur eam esse causam vt substantiam, causa enim omnibus cur sint, substantia est. Viuere autem viuentibus esse est, quorū

causa & principium est anima. Præterea eius quod est potentia, ratio est actus. Constat item, vt id cuius gratia, animam causam esse: vt enim intellectus gratia alicuius facit, sic etiã natura, & hoc est ei finis: eiusmodi autem est in animalibus anima, & secundum naturam. Cuncta enim naturalia corpora animæ sunt instrumenta, vt animalium sic etiam plantarum: vtpote quæ gratiã animæ sint. Bifariam autem dicitur id cuius gratia aliquid est, scilicet cuius & cui. Quin etiam vnde primum est motus loci anima est: verum hæc potentia non omnibus inest viuentibus. Præterea verò & alteratio, & auctio ab anima est: videtur enim sensus esse alteratio quædam. Nihil autem sentit, quod non habeat animam. Similiter etiam de auctione & diminutione res habet: nihil enim diminuitur, neque naturaliter augetur, nisi alatur, nihil autem alitur: quin sit vitæ particeps. Empedocles autem, non recte dixit hoc addens, auctionem fieri in plantis, deorsum quidem radices agentibus, propterea quod terra sic feratur

ratur natura , fursumq; itidem pro-
 pter ignem : neq; enim has differenti-
 as videlicet fursum & deorsum , recte
 vsurpat : non enim idem est fursum &
 deorsum omnibus , atq; rerum vni-
 uersitati : sed quam caput animalium,
 eam obtinent rationem radices
 plantarum : siquidem instrumenta di-
 uersa & eadem ex eorum officijs di-
 cere conuenit. Ad hæc, quid est quod
 continet dum ad contrarias partes fe-
 runtur ignem & terram ? distrahen-
 tur enim nisi aliquid fuerit quod sit
 prohibitorium : quod si erit, id ipsum
 est anima, & causa cur res augetur
 & alantur. Sunt autem qui censeant ,
 ignis naturam simpliciter causam esse
 nutritionis & auctiois , is namq; so-
 lus omnium corporum vel elemento-
 rum videtur ali, & augeri : quamo-
 brem & in plantis & in animalib. pu-
 tauerit aliquis eum esse, id quod ope-
 ratur. Verum is concausa quodam-
 modo est, non tamen simpliciter cau-
 sa, sed anima potius : ignis enim au-
 ctio in infinitum procedit , quamdiu
 subest res cremabilis : at omnium na-
 tura constantium terminus statutus

G 4 est,

est, & ratio magnitudinis & auctio-
nis: hæc autem animæ sunt, & non i-
gnis: & rationis potius, quam mate-
riæ. Cum autem eadem sit animæ po-
tentia nutritiua, & generatiua, primū
de nutrimento differere necesse est,
hoc enim officio ab alijs distinguitur
potentijs. Videtur igitur nutrimen-
tum, esse contrarium contrario: non
tamen quoduis cuiuis: sed quæcunq;
contrariorum non solum ex se mutuo
generantur, verum etiam augentur:
fiunt enim multa ex se mutuo, sed nō
omnia augentur, vt fanum ex ægro-
tante: quinimo ne illa quidem eodem
modo videntur sibi mutuo esse ali-
mentum, Sed aqua quidem ignis est
alimentum: ignis autem non alit a-
quam. Ac in simplicibus quidem cor-
poribus hæc esse videntur maximè,
vnum alimentum, alterum quod ali-
tur. Sed quæstio existit: sunt enim
qui dicant, simile ali simili, quemad-
modum etiam augeri: contra alijs,
vt diximus, contrarium videtur con-
trario: vtpotè cum simile pati non
possit, alimentum vero mutetur ac
concoquatur: mutatio vero omnibus
in op-

in oppositum fiat, aut in medium. Præterea alimentum, patitur aliquid ab eo quod alitur: sed non hoc ab alimento: quemadmodum neq; faber à materia, sed ea ab illo: faber autem, ex ocio duntaxat ad negotium mutatur. Vtrum autem sit alimentum id quod vltimo adhibetur, an id quod primo, differentia est: quod si vtrumque, sed alterum crudum, alterum concoctum, vtroq; modo possimus alimentum dicere: nã quatenus crudum est, contrarium contrario alitur: quatenus concoctum, simile simili: itaq; constat vtrosq; quodammodo & recte & non recte dicere. Sed quia nihil alitur, nisi sit vitæ particeps, id quod alitur animatum corpus fuerit quatenus animatum. Quare & alimentum ad animatum est, & non per accidens. Est autem aliud alimento & auctifico esse: nam quatenus quantum quoddam est, auctificum est: quatenus vero hoc aliquid & substantia, alimentum: conseruat enim substantiam, & tamdiu est, quamdiu alitur: effectiuumq; generationis est, non eius quod alitur, sed cuiusmodi

G

5

est id

est id quod alitur : Iam enim est ipsa substantia, & nihil generat se ipsum, sed conseruat. Quare tale animæ principium eiusmodi est potentia, quæ conseruet quod habet ipsam, quatenus tale est. Alimentum autem subministrat apparatus ad operandum : quapropter si priuetur alimento, esse non potest. Cum autem tria sint, quod nutritur, & quo nutritur, & quod nutrit : id quidem quod nutrit est prima anima : quod vero nutritur corpus quod eam habet : quo autem nutritur, alimentum. Sed quia à fine appellare omnia par est, finis autem est generare quale ipsum est, erit prima anima generatiuum talis quale ipsum est. Duplex porrò est id quo nutrit, vt etiam id quo gubernat manus scilicet ac temo. Aliud quod mouet & mouetur, aliud quod mouet tantummodo, omne autem alimentũ necesse est concoqui posse : efficit autem concoctionem calidum : quamobrem omne animatum habet calorẽ. Ac alimentum quidem quid sit, dictũ est adumbratione quadam : de quo post idoneo loco apertius agemus.

Caput

CAPVT V.

HIsexpositis, de omni sensu com-
 muniter disputemus. Sensus fit
 dum aliquid mouetur, aut patitur, vt
 dictum est. Videtur enim esse altera-
 tio quædam. Sunt etiam qui dicant si-
 mile à simili pati: id vero quomodo
 possibile sit aut impossibile, dictum
 est in vniuersalibus sermonibus de a-
 gendo & patiando. Sed oritur quæ-
 stio, cur non sensuum quoq; ipsorum
 non sit sensus, & cur sine ijs quæ sunt
 extra, non efficiunt sensum: cum in-
 sit & ignis & terra, & reliqua elemen-
 ta quorum est sensus per se, aut ea
 quæ ipsis accidunt: Perspicuum igi-
 tur est, sensitium non esse actu sed
 potentia tantummodo: quapropter
 non sentit: quemadmodum res cre-
 mabilis non crematur ipsa per se, sine
 eo quod vim habet cremandi: se enim
 ipsa cremaret, nec actu ignis indige-
 ret. Sed cum sentire bifariam dica-
 tur, quod enim potentia audit videt-
 que, id audire & videre dicimus, quã-
 uis fortè dormiat: & quod iam ope-
 ratur,

ratur, sensus quoq; bifariam dicetur: partim vt potentia, partim vt actu. Similiter etiam sentire: & quod potentia est, & quod actu. Ac primum tanquam idem sit pati & moueri operariq; dicamus. etenim motus est actus quidam, sed imperfectus, vt in alijs dictum est. Omnia autem patiuntur & mouentur ab efficiente, & eo quod actu est: idcirco partim à simili patiuntur, partim à dissimili, quemadmodum diximus: Patitur enim quod dissimile est, vbi autem passum est, simile est. Distinguendum etiam est de potentia & actu: nunc enim simpliciter de eis loquimur. partim enim ita sciens quidpiam est, quasi dicamus hominem scientem, quoniam eiusmodi est humanum genus, vt sciat & habeat scientiam: partim iam dicimus scientem, eum qui habet Grammaticam: vterq; autem horum non eodem modo potest: sed vnus quidem, quia genus ac materia talis est: alter vero quia cum voluerit potest contemplari, nisi aliquid externum prohibeat. At vero qui iam speculatur, actu est & proprie sciens hoc A. Ambo igi-

bo igitur priores illi, potentia quidem sunt scientes, sed alter quidem per disciplinam alteratus, & sapius ex contrario mutatus habitu: alter vero ex eo quod habeat sensum vel grammaticam, & non operetur, ad operandum alio modo. Pati quoque non est simplex, sed aliud est corruptio quædam à contrario, aliud salus potius eius quod est potentia, ab eo quod est actu & simili: quomodo potentia se habet ad actum: contemplans enim fit quod habet scientiam: quod sanè aut non est alterari (nam in ipsum fit accessio, & in actum) aut certe aliud est genus alterationis. Quamobrem non recte se habet dicere, id quod scit cum scit, alterari: quemadmodum nec ædificatorem cū ædificat. Quod igitur ad actum ducit ex eo quod est potentia intelligens & sciens, id non doctrinam, sed aliam habere appellationem meretur: quod autem cum sit potentia, discit & comparat scientiam ab eo quod est actu, & docet, id vel non esse dicendum pati, quemadmodum diximus, aut certe duos esse alterationis modos: videlicet

licet mutationem eam quæ ad priuatiuas fit dispositiones, & eam quæ ad habitus & naturam. Sensitiui autem prima quidem mutatio fit, ab eo quod generat: cum autem generatum est, habet iam tanquam scientiam & sentire. Quin etiam quod actu est perinde dicitur atque contemplari: differentia tamen est, quod ea quæ actu sensum efficiunt, extra sunt, visibile scilicet & audibile, cætera quæ itidem sensibilia. Cuius rei causa est, quia sensus qui actu est, singularium est: scientia verò vniuersalium: hæc autem in ipsa quodammodo sunt anima: iccirco intelligere quidem est in ipso cum voluerit, sentire autem non est in ipso, necesse enim est adesse sensibile. Similiter etiam res se habet in scientiis sensibilia, & ob eandem causam, quia sensibilia singularia & extra sunt. Sed de his apertius differendi erit occasio etiam alias. Verum hoc tantum in præsentia sit distinctum: cum non simplex sit id quod potentia dicitur, sed partim quasi dicamus puerum posse ducem esse, partim ut eum qui per ætatem idoneus sit, sic se habet

habet sensitium. Sed quia nomine caret eorum differentia, explicatumque est ea esse diuersa, & quoniam pacto diuersa, necesse est nominibus his pati scilicet & alterari, vti tanquam proprijs. Sensitium autem potentia est tale, quale iam sensibile actu, quē admodum dictum est. Patitur igitur cum non est simile, vbi autem passum fuerit, simile factum est, & tale est quale illud.

CAPVT VI.

Igitur in vnoquoq; sensu, primum de sensibilibus dicendum est. Sensitium tribus modis dicitur, quorum duo quidem per se, vnum vero per accidens sentiri dicimus, duorum autem illorum, vnum est proprium cuiusq; sensus, alterum commune omnium. Id autem intelligo propriū, quod non potest alio sensu sentiri, & in quo non potest fieri error: vt visus coloris, auditus soni, gustus saporis: tactus autem plures habet differentias, sed vnusquisq; iudicat de eis: neq; decipitur

pitur quod color sit, vel quod sonus: sed quid sit id quod coloratum est, aut vbi: aut quid sit id quod sonat: aut vbi: Hæc igitur dicuntur propria cuiusq;. Communia autem, motus, quies, numerus, figura, magnitudo: hæc enim nullius sunt propria sed omnium communia, etenim & tactu motus quidam sensibilis est, & visu. Atq; hæc quidem per se sensibilia sunt, per accidens autem sensibile dicitur, verbi causa si album sit Diaris filius: per accidens enim hoc sentimus, quia accidit albo id quod sentimus: quocirca nihil quatenus tale est à sensibili partitur, eorum autem quæ per se sunt sensibilia, ea proprie sensibilia sunt, quæ propria sunt, & ad quæ nata atq; apta est cuiusq; sensus substantia.

C A P V T VII.

ERgo cuius est visus, id est visibile. Visibile autem est color, & quod oratione quidem exprimi potest, nomine autem caret, verum in orationis progressu maxime perspicuum fiet quod

quod dicimus, quippe visibile est color, qui demum est id quod in eo est, quod est per se visibile: per se autem non ratione, sed quoniam in se habet causam cur fit visibile. Omnis autem color motius est eius quod est actu perlucidum, atq; id est ipsius natura. Iccirco non est visibile sine lumine: sed omnis color rei cuiusq; in lumine videtur: quamobrem de lumine prius quid sit dicendum est. Est ergo aliquid perlucidum: Id autem appello perlucidum, quod est quidem visibile, sed vt vno verbo dicam, non per se, sed propter alienum colorem visibile: cuiusmodi sunt aër & aqua, & complura solidorum, non enim quatenus aqua, nec quatenus aër, perlucidum est: sed quia eadem inest natura in vtroq; eorum, & in æterno illo supero corpore. Lumē vero est eius actus, nempe perlucidi, quatenus perlucidum est: in quo autem hoc inest potentia, in eodem tenebræ etiam insunt: Lumen autem veluti color est perlucidi, quando actu fit perlucidū ab igne aut eius generis aliquo, cuiusmodi est superum corpus. Quid igitur sit

H

tur sit

tur sit perlucidum & quid lumen diximus: nimirum quod nec ignis est, nec omnino corpus, neq; effluxio corporis ullius (esset enim vel sic corpus aliquod) sed ignis aut alicuius eiusmodi presentia in perlucido, neq; enim duo corpora simul in eodem esse possunt. Videtur etiam lumen esse contrarium tenebris, sunt vero tenebrae, priuatio talis habitus à perlucido. Itaq; perspicuum est eius presentiam esse lumen. Neq; recte Empedocles aut si quis alius perinde locutus est ac si lumen feratur, ac demum extendatur inter terram & caelum ambiens, nos vero lateat. Hoc enim est praeter veritatem quae in ratione posita est, & praeter ea quae apparent. In paruo namq; interuallo forte nos lateret. Latere vero ab ortu ad occasum, magnū admodum postulatum est. Est autem coloris quidem receptiuum, quod colore vacat, soni autem quod sono: vacat autem colore, perlucidum, & inuisibile, & quod vix cernitur: cuiusmodi videtur esse tenebrosum: tale autem perlucidū est non tamen quando actu, sed quando potentia est perluci-

lucidum : eadem enim natura modo est tenebræ, modo lumen. Neq; vero omnia cerni possunt in lumine, sed sicut cuiusq; duntaxat color. Sunt enim nonnulla quæ in lumine quidem non cernuntur, in tenebris autem faciunt sensum, veluti quæ ignea apparent, atq; splendent : vacant autem vno nomine, vt fungus, vt cornu, vt piscium capita & squamæ, & oculi. Verum nullius horum color cernitur suus. Causa autem quamobrem cernantur ad aliã pertinet disputationem. Nunc hoc tantum constat, colorem id esse, quod in lumine cernitur : quomobrem sine lumine nõ cernitur: hoc enim erat ipsi esse colori, motiuo esse eius quod est actu perlucidum : actus autem perlucidi lumen est : cuius euidentis indicium illud est : nam si quis rem colore præditam apponat visui, non videbit : sed color quidem mouet perlucidum, verbi causa aërem : ab eo autem vtpotè continuo, mouetur sensus instrumentum. Enimvero non rectè hoc dicit Democritus, putans si aëris interuallum fiat vacuum, cerni posse exquisitè, si vel formica in cælo

H 2 fuerit:

fuerit : nam hoc fieri nequit. Visio enim fit sensitiuo aliquid patiente. Ut igitur ab ipso colore qui cernitur, fieri non potest : restat ergo ut ab intermedio : quamobrem necesse est aliquid esse intermedium , quod si vacuum fiat, non modo non exquisitè, sed prorsus nihil videbitur, causa igitur cur necesse sit colorem in lumine videri, dicta est. Ignis autem in utroque cernitur , & in tenebris , & in lumine : idq; necessario : nam perlucidum ab eo fit perlucidum. Eadem de sono & odore ratio est: nihil enim eorum tangendo sensorium , efficit sensum: sed ab odore quidem & sono mouetur intermedium, ab eo autem instrumentum utrumq;. Sin autem aliquis ipsi instrumento rem apposuerit olentem aut sonantem , nullum sensum faciet : De tactu etiam & gustatu pari quidem modo res habet, sed non apparet : causa autem post declarabitur. Intermediū autem sonorū quidem, est aër : odoris autem vacat nomine. Nam in aëre & in aqua communis est quædam affectio, ut res perlucida colori, sit colore prædito , id quod

quod in vtrifq; his inest: nam & aquatilia animalia habere sensum odoris videntur: sed homo quidem & inter pedestria quæ spirant, nisi spiritum trahant, olfacere nequeunt: quorum etiam causam post reddemus.

CAPVT VIII.

NVnc de sono primum & auditu differamus. Duplex est sonus, vnus actu, alter potentia: quædam enim non habere sonum dicimus, vt spongiam, lanã: quædam habere, vt æs, & quæcunq; solida sunt & læuia, quia possunt sonum edere, id est inter se & auditum actu sonum efficere. Fit autem actu sonus semper alicuius ad aliquid & in aliquo: ictus enim est qui efficit: itaq; fieri non potest, vt si vnũ sit, sonus fiat: aliud enim est quod verberat, aliud quod verberatur, quare, id quod sonat ad aliquid sonat: ictus autem non fit sine latione. Verum, vt diximus, non quorumuis ictus, sonus est. Nullum enim sonum edit lana, si percutiatur, sed æs, &

quæcunq; læuia & concaua sunt. Aes quidem quia læue est : concaua autem refractione multos post primum ictus efficiunt, dum quod motum est exire non potest. Præterea, & in aëre auditur & in aqua, sed minus. Neq; vero penes aërem soni potestas est, nec penes aquam: sed oportet solidorum inter se & cum aëre confictionem ictumq; fieri, quod tum contingit, cum percussus aër perstiterit, nec dissipatus fuerit. Itaq;, si celeriter & vehementer percutiatur, sonū edit : oportet enim vt motus ferientis anticipet dissipationem aëris, non secus ac si quis arenæ cumulum, aut certe arenam perpetuo lapsu præcipitantem celeriter diuerberet. Echo autem fit, cum ab aëre, qui propter vas quod eum terminauit friariq; prohibuit vnus efficitur, retro aër veluti pila pulsus fuerit. Videtur autē semper Echo fieri, sed non clara, quandoquidem vt in lumine sic vsu venit in sono : etenim semper lumen refringitur : alioqui non fieret vbiq; lumen sed tenebræ, extra locum à sole illustratum : sed non ita refringitur, vt ab aqua vel
aëre

aëre vel quouis alio læuium, vt vmbra efficiat, qua lumen terminamus. Penes vacuum autem, recte dicitur esse audiendi potestas: nam aër videtur esse vacuum: is autem est qui audire facit, cum mouetur continuus & vnus: verum quia friabilis est, non personat, nisi res percussa sit læuis: tunc autem vnus fit simul propter planum: vnum enim est læuis planum. Sonatium igitur est, quod continuatione vnum aërem vsq; ad auditum mouere potest. Porro autem in auditu inest aër quidam natiuus: sed quoniam in aëre est, moto externo, mouetur internum: quamobrem animal qualibet sui parte non audit, neque quouis permeat aër: neq; enim vbiq; habet aërem pars mouenda & animata. Aër igitur ipse, soni expers est: propterea quod est friatu facilis: cum autem prohibetur friari, tunc motus eius, est sonus: is porro qui in auribus est situs, propterea intus est conditus, vt sit immobilis, nimirum vt exquisitè sentiat omnes motus differentias: quo fit vt etiam in aqua audiamus, quoniam non penetrat in

H 4 ipsum

ipsum natium aërem, sed ne in aurem quidem propter anfractus: quod cum contigerit, non audit: neq; etiã si membrana ægrotauerit: quemadmodum pellis ea, quæ pupillæ obren- ditur, cum ægrotauerit. Quinetiam signum audiendi vel non audiendi est, si auris semper fonet vt cornu: semper enim aër in auribus conditus, motu quodam mouetur suo: at sonus alienus est, & non proprius: & propterea dicunt, nos audire vacuo & sonante, quia eo audimus quod definitum habet aërem. Vtrum autem sonat id quod verberat, an quod verberatur? An & vtrumq;, modo tamen diuerso. Est enim sonus motus eius, quod potest moueri, veluti quæ resiliunt à læuibus, cum quis percusserit, nam vt diximus, non quiduis sonat dum percutitur & percutit: verbi causa, si acus acum feriat: sed oportet vt id quod percutitur planum sit, ita vt aër confertim resiliat & quatiatur. Differentiæ autem sonantium, in sono qui actu est patefiunt: vt enim colores sine lumine non cernuntur, sic nec acutum & graue sine sono. Hæc autem

autem per translationem dicuntur à
 tactilibus: acutum enim mouet sen-
 sum breui tempore, multum: graue
 longo tempore: parum: neq; vero a-
 cutum velox est, neq; graue tardum.
 Sed motus vnus fit talis propter ve-
 locitatem: alterius, propter tardita-
 tem: atq; videntur proportione re-
 spondere ei acuto & obtuso quod in
 tactu consistit: acutum enim quasi
 pungit: obtusum, quasi pellit: pro-
 pterea quod vnum in multo, alterum
 in pauco mouet tempore: itaq; acci-
 dit, vt alterum velox, alterum tardū
 fit. Ac de sono quidem sic expositum
 fit. Vox autem, est sonus quidam ani-
 mati: nullum enim inanimatorū voce
 vtitur, sed similitudine quadam di-
 cuntur vocem emittere, vt tibia, vt
 lyra: cæterorumq; inanimatorum
 quæcunq; habent extensionem & me-
 los, & locutionem. Sunt enim similia,
 quia & vox hæc eadem habet. Multa
 autem animalia non habent vocem,
 vt exanguia: & inter sanguine prædi-
 ta, pisces: neq; adeo iniuria: si qui-
 dem sonus motio quædam est aëris.
 Sed quos ferunt vocem mittere, vt in

Acheloo amne pisces quosdam, ij sonant branchijs, vel eius generis alio. Vox autem, est sonus animalis, nec quavis parte: sed quoniam omnia sonant percutiente aliquo, & aliquid, & in aliquo: idq; est aër, merito ea sola vocem fundere censendum est, quæcunq; recipiunt aërem. Iam enim spiritu abutitur natura ad duo officia, vt lingua ad gustatum & ad sermonem (quorum gustatus quidem necessarius est, quamobrem pluribus etiam inest, fermo vero vt bene fit) sic quoq; spiritu tum ad natium calorem vt quod sit necessarium (causa autem aliàs dicitur) tum vero ad vocem, vt id quod bene est, adsit. Instrumentum autem spiritus, est guttur: id vero cuius gratia hæc pars est, pulmo est: Hac enim parte plus habent caloris pedestria quam cætera: indiget etiam respiratione locus is qui circa cor est primus. Quocirca necesse est intro spiritu ductum intrare aërem. Itaq; ictus spiritu ducti aëris ab anima quæ est in his partibus, ad eam partem quæ arteria vocatur, vox est. Neq; enim quilibet sonus animalis vox

lis vox est, vt diximus, licet enim & lingua sonum edere, vt qui tussiunt. Sed oportet id quod verberat animatum esse & cum phantasia quadam, vox enim sonus est significans: & non aëris qui spiritu ducitur, vt tussis: sed hoc ipso ferit eum qui est in arteria, ad ipsam. Cuius rei indicium est, quod nemo posset vocem emittere ducens aut reddens spiritum, sed retinens: hoc enim ipso mouet, qui retinet. Patet etiam causa cur pisces sint vocis expertes: nimirum quia non habent guttur: hanc porro partem non habent, quia non recipiunt aërem, neque spirant: sed qui ita dicunt aberrant: causa autem ad aliam sit reiecta disputationem.

CAPVT IX.

DE odore & odorabili minus facile explicare est, quam de ijs que dicta sunt: non enim constat quale quid sit odor, quomodo sonus aut lumen aut color: causa est quia non habemus exquisitum hunc sensum, sed dete-

deteriorem compluribus animalibus: homo enim exiliter olfacit, atq; sine dolore & voluptate nihil sentit odorabilem: vtpotè cum non sit exquisitum hoc instrumentum. Consentaneum etiam est, quæ durioribus sunt oculis eodem modo colores sentire, neq; perspicuas eis esse colorum differentias, nisi cum terrore & sine terrore: eodem etiam pacto odores hominum genus. Enimvero species saporum, si ad gustum conferas, cum speciebus odoris habere proportionem ac similitudinem videntur, sed exquisitiorem habemus gustatum, propterea quod tactus sit quidam, & hunc sensum homo habeat exquisitissimum. In reliquis enim longe inferior est cæteris animantibus: at vero tactu, præter cætera omnia exquisite suo fungitur munere: & ideo prudentissimum est animalium: argumentò, quod in genere hominum ob instrumentum hoc, ingeniosi sunt & tardi, nec ob vllum aliud: qui enim duras habent carnes, tardo sunt ingenio, qui vero molles ingeniosi. Quemadmodum autem sapor, alius est dulcis,
alius

alius amarus: sic etiam odores, sed
 alia habent proportionalem odorem
 & saporem, alia contra: verbi causa
 dulcem odorem, & dulcem saporem:
 pariter etiam aëris, & aufterus, &
 acidus, & pinguis est odor. Sed quo-
 niam, vt diximus, odores non admo-
 dum manifesti sunt, vt sapores, ideo
 ab eis duxere nomina pro rerum simi-
 litudine: dulcis nimirum à croco &
 melle: acris à thymo atq; id genus
 alijs, sic etiam in cæteris. Præterea vt
 auditus & vnusquisq; sensuum alius
 est rei audibilis & inaudibilis: alius
 visibilis & inuisibilis: sic etiã odoratus
 rei odorabilis & inodorabilis. Inodo-
 rabile autē dicitur, partim q̄ nullum
 prorsus habere potest odorem: par-
 tim quod exiguum habet, & exilem:
 similiter gustabile & ingustabile di-
 citur. Fit etiam olfactus per inter-
 medium, vt aërem aut aquam, quip-
 pe & aquatilia videntur odorem sen-
 tire, & sanguinea pariter & exanguia:
 quemadmodum etiam ea quæ in aëre
 degunt. Nam & nonnulla eorū odore
 impulsa procul contendunt ad ali-
 mentum. Proinde videtur oriri quæ-
 stio, si

stio, si cuncta quidem peræque olfaciant, homo vero spiritum quidem ducens olfacit: quod si non ducat, sed reddat, aut cohibeat spiritum, non olfacit, neque est longinquo, neque est propinquo: ne si intra nares quidem apponatur. Ac si quid ipsi quidem apponatur sensorio, id esse insensibile, commune est omnium: non sentire vero sine respiratione, peculiare est in hominibus: quod experiendo perspicitur. Itaque sanguine carentia, utpote quæ non spirent, alium quempiam sensum habere censeas, præter eos qui vulgo dici consuevere, res tamen non ita se habet: si quidem odorem sentiunt: sensus enim rei odorabilis, & foetidæ, & odoratæ, olfactus est. Præterea, videntur à vehementibus odoribus corrumpi, à quibus etiam homo corrumpitur, ut bituminis, & sulphuris, atque id genus alij. Olfaciant igitur necesse est, non tamen recipiendo spiritum. Videtur autem in hominibus differre hoc instrumentum à cæterorum animalium instrumentis: ut oculi ab oculis, eorum quæ duos eos habent: nam illi quidem habent septum

septum & veluti vtriculum quendam, palpebras: quas nisi moueant, atque attollant, non vident. Quæ vero duris sunt oculis, nihil habent eiusmodi sed illico vident quæ fiunt in translucido, sic etiam odoratiuum sensorium: alijs sine operculo esse apparet, sicut ille oculus: in ijs autem quæ recipiunt aërem, adesse videtur operimentum, idq; cum spiritum hauriunt aperiri, dilatatis venulis ac meatibus. Quamobrem quæ spirant, in humido non olfaciunt: necesse enim est spiritum ducendo olfaciant, quod in humido fieri non potest. Est autem odor sicci, vt sapor humidi: odoratiuum vero sensorium est tale potentia.

CAPVT X.

Gustabile autem est tactile quidam: atq; hoc in causa est, cur non sit sensibile per intermediū quod sit alienum corpus, nimirum quia nec tactus, corpus etiam in quo est sapor gustabile in humido vt materia: id
vero

vero est tactile quiddam, idcirco si in aqua essemus, & dulce quidpiam iniiceretur, sentiremus, nec esset nobis sensus per intermedium: sed quod admixtum esset humido, quemadmodum in potione: at color non hoc modo videtur, nempe quod misceatur, aut effluxionibus. Quod autem ad intermedium attinet, nullum est. Vt autem visibile est color, sic gustabile sapor. Nihil autem saporis sensum efficit sine humiditate: sed habet actu aut potentia humiditatem, ut falsum: nam & ipsum facile liquefactu est, & colliquefaciendæ linguæ vim obtinet. Sed ut visus est rei visibilis & inuisibilis (nam tenebræ inuisibiles sunt, at tamen has etiam visus diiudicat:) Ad hæc valde splendidi (nam id quoque inuisibile est, alio tamen modo atque tenebræ) sic etiam auditus & soni & silentij: quorum alterum est audibile, alterum non audibile. Atque etiam magni soni, quemadmodum visus splendidi, ut enim parvus sonus inaudibilis quodammodo est, sic etiã magnus ac violentus. Inuisibile autem, partim sicut etiam in alijs dicitur, quod prorsus

prorsus impossibile est: partim, si cum natum aptumq; sit, non habeat, aut certè exiliter, vt apes, & inucleatum. Sic etiam gustatus, rei gustabilis & ingustabilis, id vero est, quod aut paruum & exilem, aut gustum corrumpentem habet saporem. Videtur autem potabile & impotabile esse principium: sed alterum prauum gustūq; corrumpens: alterum secundum naturam: Est autem potabile, commune tactus & gustus. Cum autem gustabile, sit humidum, necesse est sensorium eius nec actu humidum, nec eiusmodi esse vt humectari nequeat: patitur enim gustus à gustabili quatenus gustabile. Necesse ergo est id quod humectari potest, humectari ita vt seruetur, nec esse humidum ipsum, scilicet gustatiuum sensorium, indicium huius est, quod lingua neq; cum præarida est, sentit: neq; cum admodum humida: hic enim tactus fit primi humidi: vt cum quispiam degustato vehementi sapore, degustat alium: & quemadmodū ægrotantibus amara omnia videntur, propterea quod lingua referta eiusmodi humiditate

I sentit.

fentit. Species autem saporum, vt etiam in coloribus, simplices quidem sunt quæ sunt contrariæ, dulce & amarum: Proxima autem sunt, ab vno, pingue: ab altero, falsum: His interiecta sunt, acre, & austerum, & acerbum, & acidum, nam hæ propemodum esse saporum differentiæ videntur. Quare gustatiuum est, quod est tale potentia: gustabile vero, quod est effectiuum actu eius.

C A P V T X I.

DE tactili & tactu eadem est ratio: si enim tactus non vnus est sensus, sed plures: & tactilia etiam plura esse sensibilia necesse est. Est autem quæstio, vtrum plures sint, an vnus: & quod sit instrumentum rei tactilis tactiuum: vtrum caro, & in alijs quod ei proportione respondet: an non, sed hoc quidem sit intermediũ, primum vero sensorium, aliud quidpiam intus sit, quippe omnis sensus vnus esse videtur contrarietatis, vt visus albi & nigri, auditus grauis & acuti, gustatus amari & dulcis. At in tactili,

tactili, multæ sunt contrarietates, calidum, frigidum, humidum, siccum, durum, molle, & eiusmodi alia. Sed est solutio quædam huius quæstionis: etenim & in alijs sensibus plures sunt contrarietates, vt in voce non solum acumen & grauitas, verumetiam magnitudo & paruitas, & lenitas, & asperitas vocis, cæteraq; generis eiusdem. In colore etiam eiusmodi aliæ sunt differentiæ: verum quid sit subiectum, vt auditui sonus, sic etiam tactui, non est manifestum. Vtrum autem instrumentum sit intus nec ne, sed protinus caro, nullo videtur esse argumento, quod sensus fiat, simul atq; res tanguntur. Etenim si quis carnem extenderit quidpiam in speciem membranæ redactum, statim ea tacta peræque sensum imprimet: & tamen constat non esse in ea sensus instrumentum. Quod si etiam coalescat, multo citius sensus penetret. Itaq; pars hæc corporis, perinde se habere videtur, ac si circumquaq; coalitus nobis esset aër: videremur enim vno quodã & sonû, & colorẽ, & odorem sentire: & vnus esse sensus auditus, & visus, & olfa-

ctus: at vero quia distinctum est, id per quod fiunt motus, perspicuum est quæ diximus instrumenta diuersa esse: In tactu vero id nunc obscurum est: ex aëre enim aut aqua corpus animatum constare non potest: requiritur enim vt solidum quidpiam sit. Restat ergo vt ex terra & his, sit mixtum, cuiusmodi vult esse caro, & quod ei proportionem respondet: nam si omnis sensus per intermediū est, etiam tactus. Quare necesse est & corpus esse inter tactuum quod adhæreat coalitumq; sit, per quod fiunt sensus, qui quidem plures sunt. Indicat autem eos esse plures is tactus qui in lingua consistit: eadem enim parte cuncta tactilia & saporem sentit: Ergo si reliqua caro saporem sentiret, sensus gustatus & tactus idem & vnum esse videretur: nunc vero duo sunt, quia non fit conuersio. Verum quærat quispiam, si omne corpus habet altitudinem, atq; hæc est tertia magnitudo: quibus autem duobus corporibus interiacet corpus aliquod, fieri non potest vt ea se mutuo tangant: humidumq; non est sine corpore, neq; madidum: sed
necesse

neceſſe eſt vel aquam eſſe, vel aquam habere: quæ vero in aqua ſe mutuo tangunt, cum extrema ſicca non ſint, neceſſe eſt aquam habeant interiectã, cuius plenæ ſunt extremitates: quòd ſi hoc verum eſt, fieri non poteſt vt aliud tangat aliud in aqua: eodem etiã modo in aëre: ſimiliter enim ſe habet aër ad ea quæ ſunt in ipſo, atq; aqua: latet tamen magis nos, vt etiam ea animalia quæ in aqua ſunt, an madidum tangat madidum. Vtrum igitur omnium ſimiliter ſit ſenſus, an aliorũ aliter, vt nunc videtur, guſtus quidem & tactus tangendo, alij autem è longinquo? Id verò non ita ſe habet: ſed durum & molle per alia ſentimus, quemadmodum & ſonatum, & viſibile, & odorabile: ſed alia è longinquo, alia è propinquo: quapropter latet: quandoquidem omnia ſentimus per intermedium: verum in his latet. Atqui, vt ſuperius diximus, & ſi per membranam ſentiremus omnia tactilia, neſcientes eam intercedere, æque afficeremur, atq; nunc in aqua & in aëre: videmur enim ea tangere, & nihil eſſe interiectum. Sed tactile dif-

fert à visibilibus & sonatiuis : quia illa quidem sentimus medio aliquid in nos agente : tactilia verò non à medio, sed vnà cum medio : veluti is qui traiecto clypeo percussus est, nō enim percussus clypeus percussit, sed contingit vt ambo simul percuterentur. Omnino videtur caro, & lingua, vt aër & aqua ad visum & auditum & olfactum habet, ita habere ad sensorium, vt illorum vnumquodq;. Si autem ipsum tangatur sensorium, neq; hīc, neq; illic fiat sensus : veluti si quis posuerit corpus aliquod album super extremum oculum. Ex quo etiam perspicuum est intus esse rei tactilis sensorium. Hoc enim pacto vt in cæteris eueniet : nam si apponantur super sensorium, non sentiunt : at si apponantur super carnem, sentiunt. Quare intermedium tactiui caro est. Tactiles igitur sunt corporis vt corpus est differentia: voco autem differentias, quæ elementa distinguunt : calidum, frigidum, humidum, siccum: de quibus in libris de elementis ante diximus. Sensorium autem ipsorum tactium, & in quo primo sensus is quem

quem tactum vocamus inest, pars ea est quæ potentia est talis. Nam sentire pati quoddam est: quare id quod facit quale est ipsum actu, tale illud facit, cum sit potentia. Quamobrem id quod æquè calidum est, ac frigidum, aut durum & molle non sentimus, sed excessus: vtpotè cum sensus mediocritas quædam sit eius contrarietatis, quæ in sensibilibus reperitur: & propterea iudicat sensibilia: medium enim vim habet iudicandi: fit enim alterum extremorum, ad utrūq; ipsorum comparatum. Et oportet, quemadmodum id quod sensurum est album & nigrum, neutrum eorum esse actu, sed potentiâ vtrumq;: sic & in alijs & in tactu, nec calidum esse nec frigidum. Præterea, vt rei visibilis & inuisibilis erat quodammodo visus, ceteriq; itidem oppositorū: sic quoq; tactus, tactilis, & intactilis. Intactile autem est, tum quod planè leuem habet differentiam tactilium (quod vsu venit in aëre) tum tactilium excessus, cuiusmodi sunt quæ corrumpendi vim habēt. Ac de sensib. quidem sigillatim differuimus adumbratione quadam.

C A P V T X I I .

VNiuerſè autem de omni ſenſu hoc ſumendum eſt: ſenſum id eſſe, quod eſt capax ſenſibilium ſpecierum ſine materia: vt cera annuli ſine ferro, & auro recipit ſignū: ſed accipit ea quidem aureum, vel æreum ſignum: non tamen quatenus æs vel aurum eſt. Pariter etiam ſenſus vniuſcuſq; ab eo patitur quod nec odorem habeat, aut ſaporem, aut ſonum: verum non quatenus vnumquodq; illorum dicitur, ſed quatenus eiſmodi eſt, & ex ratione. Id vero eſt primum ſenſorium, in quo eiſmodi potentia eſt. Sunt ergo idem, eſſe vero diuerſum eſt: magnitudo enim quædam fuerit id quod ſentit: non tamen ſenſitiuo eſſe, neq; ſenſus eſt magnitudo: ſed ratio quædam & potentia illius. Ex quibus etiam perſpicuum eſt, cur ſenſibilium exceſſus corrumpant inſtrumenta: quippe ſi motus inſtrumento validior fuerit, diſſoluitur ratio: id autem erat ſenſus: veluti etiam concentus & tonus, vehementer pulſatis fidibus. Conſtat etiam, cur
plantæ

plantæ non sentiant, cum tamen habeant quandam partem animæ, atq; à tactilibus aliquid patiantur, quippe quæ & frigescant, & calecant: causa huius est, quia non habent mediocritatem, neq; eiusmodi principium, quod sit idoneum ad recipiendas species sensibilibus, sed patiuntur cum materia. Verum quærat quispiam, num pati possit ab odore id quod olfacere non potest: aut à colore, quod videre non potest: pari quoque modo in cæteris: sanè si odorabile est odor, si quid afficit odoratum, quatenus odor afficit. Itaq; fit ut eorum quæ olfacere nequeunt, nullum ab odore pati possit. Eademq; ratio in cæteris est: sed ne eorum quidem quæ possunt, sed quatenus quodque sensitivum est. Quod etiam perspicuum vel inde est: nam nec lumen nec tenebræ, nec sonus, nec odor vlllo modo afficit corpora, sed ea in quibus sunt: ut aër comitante tonitru scindit lignum. Atqui certè tactilia & saporres afficiunt: alioquin à quonam paterentur inanimata, & alterarentur? Num igitur illa quoq; afficiunt? An

I 5 non

non ita natura comparatum est, ut omne corpus ab odore & sono patiatur? & ea demum ipsa quæ patiuntur, carent termino, neq; perstant, veluti aër; redolet enim quasi aliquid passus. Quid ergo erit olfacere, nisi pati aliquid? An olfacere quidem est sentire: aër vero ubi passus fuerit, celeriter sensibilis fit.

AB HOC CAPITE GRAECI
SUMUNT INITIVM
LIBRI TERTII.

CAPVT XIII.

NVllum autem alium sensum extare præter illos quinque, intelligo autem hos, visum, auditum, olfactum, gustatum, & tactum, ex his crediderit quispiam, si enim omnis eius cuius est sensus tactus, nunc quoque sensum habemus (omnes enim rei tactilis ut tactilis est, passiones, tactu nobis sensibiles sunt) necesse est etiam si deest aliquis sensus, sensoriū quoque nobis deesse aliquod. Et quæcunq;
quidem

quidem ipsi tangentes sentimus, tactu
 sensibilia sunt, quem habemus: quæ
 vero per intermedia, nec ipsa tangen-
 tes, simplicibus: dico autem vt aëre
 & aqua. Ita autem res habet, vt si per
 vnum plura sentiri possunt genere in-
 ter se diuersa, necesse sit eum qui eius-
 modi habet sensorium, amborum sen-
 sitiuum esse: verbi causa, si ex aëre sit
 sensorium, & aër sit & soni, & coloris.
 Quod si plura eiusdem sunt, vt colo-
 ris & aër & aqua (ambo enim hæc,
 translucida sunt) & qui alterum dun-
 taxat eorum habet, sentiet id quod
 per vtrumq;. Simplicium autem ex
 his duob. sensoria tantummodo sunt,
 videlicet ex aëre & aqua: pupilla e-
 nim aquæ, auditus aëris, olfactus ho-
 rum alterius est. Ignis autem vel nul-
 lius, vel communis omnium est: ni-
 hil enim sine caliditate sensitiuum est.
 Terra vero aut nullius, aut in tactu
 admixta præcipue est. Quapropter
 relinquatur, nullum esse sensorium,
 præter aërem & aquam. Quæ nunc
 etiam nonnulla habent animalia: er-
 go omnes sensus habentur à non im-
 perfectis neq; mutilis, nam etiam tal-
 pa sub

pa sub pelle habere oculos videtur. Quare si non est aliud quidpiam corpus & passio, quæ nullius sit corporum eorum quæ hîc sunt, utiq; nullum sensum deesse censendum est. Neq; vero communium potest esse sensorium aliquod proprium quæ vnoquoq; sensu sentimus per accidens, ut motus, status, figuræ, magnitudinis, numeri, vnius. Hæc enim omnia motu sentimus, ut magnitudinem motu: quare etiam figuram. Nam figura quoq; magnitudo quædam est, quod autem quiescit, eò quod non moueatur. Numerus vero negatione continui, & proprijs, nam vnusquisq; sensus vnum sentit. Quare perspicuum est fieri non posse, ut cuiuslibet horum proprius sit sensus, ut motus: nam hoc modo perinde fuerit, atq; nunc visu dulce, sentimus: quod eò fit, quia amborum habemus sensum, quo cum concurrunt, cognoscimus. Alioquin haudquaq; nisi per accidens sentiremus: ut Cleonis filium, non quod Cleonis filius sed quod Albus, cui sanè accidit filio esse Cleonis: at vero communium habemus iam sensum

sum communem, non per accidens, non igitur est proprius: nequaquam enim sentiremus, nisi quo pacto diximus nos Cleonis videre filium. Alter porrò alterius propria per accidens sentiunt sensus, non quatenus ipsi, sed quatenus vnus, cum simul factus fuerit sensus in eodem: exempli gratia, bilem esse amaram & flauam: neque enim alterius est dicere, ambo hæc esse vnum, quo fit vt decipiatur: & si flauum fuerit, bilem esse opinatur. Verum quærat aliquis, cur plures sensus & non vnum solum habeamus? an ne lateant consequentia & communia, vt motus, magnitudo, numerus, nam si visus esset solus, isq; albi, laterent magis, atq; idem esse cuncta viderentur: propterea quod simul se mutuo sequuntur color, & magnitudo: at quia quæ sunt communia in alio sunt sensibili, res indicat aliud quidpiam esse eorum vnumquodq;.

CAPVT XIII.

Quoni-

QVoniam autem sentimus nos videre & audire, necesse est aut visu sentiat se videre, aut alio: sed idē etiam erit visus & subiecti coloris. Quamobrem aut duo eiusdem erunt, aut ipse sui ipsius. Præterea, si etiam alius sensus sit visus, aut in infinitum procedet: aut ipse erit sui ipsius: itaq; in primo illo hoc faciendum est. Sed ambiges: nam si visu sentire est videre: videtur vero color, vel quod est colore præditum: si quis videbit id quod videt, etiam colorem id habebit quod videt primum. Perspicuum igitur est visu sentire, non esse vnum. Etenim cum non videmus, visu tenebras lumenq; discernimus, sed non eodem modo. Quin & id ipsum quod videt quodammodo coloratum est: nam sensorium quodq; capax est sensibilis sine materia. Idcirco vel a motis sensibilibus insunt sensus phantasiæq; in sensorijs. Actus porrò sensibilis & sensus idem est & vnus, esse autem ipsis non idem: verbi causa, actu sonus, actuq; auditus, fieri enim potest, vt auditum quis habeat, nec audiat: & quod sonum habet, non semper sonat,

nat, cum autem operatur id quod potest audire, sonatq; quod sonare potest, tunc actu auditus simul fit, actuq; sonus, quorum dixerit aliquis, alterum, auditionem: alterum, sonationem esse. Si igitur motus & actio & passio in eo quod mouetur est, necesse est & sonum & auditum qui actu est, in eo esse qui est potentia: actiui enim & motiui operatio in patiente fit. Quamobrem necesse non est ut id quod mouet, moueatur, actus igitur sonatiui sonus est aut sonatio: audiui auditus, aut auditio: duplex enim est auditus, ac duplex sonus. Eadem est in cæteris sensibus ac sensibilibus ratio: ut enim actio & passio in patiente est, non in agente, sic & rei sensibilis actio in sensitiuo. Verum in nonnullis nomina quoq; sunt indita, ut sonatio & auditio: in nonnullis visio, alterum caret nomine: visio namq; dicitur visus actio, coloris vero caret nomine: sic gustatiui gustatio, saporis vero vacat nomine. Sed cum vnus actus sit rei sensibilis ac sensitiuæ, esse autem diuersum, necesse est auditum qui hoc modo dicitur, & sonum, simul

corrum-

corrumpi feruariq; . Sic demum & saporem & gustatum, atq; itidem cætera. At vero quæ dicuntur potentiâ, haud est necesse. Sed prisca naturales authores non recte hoc asseriebant, quippe cum nullum prorsus nec album nec nigrum sine visu, nec saporem sine gustatu esse putarent. Partim enim rectè, partim non rectè loquebantur, nam cum sensus & sensibile bifariam dicatur, tum potentiâ, tum actu: in his quidem fit quod diximus: in illis vero alijs non item: At illi simpliciter loquebantur de ijs quæ non simpliciter dicuntur. Si igitur concentus vox quædam est: vox autem & auditus, partim vnum, partim non vnum aut non idem sunt: concentusque est ratio, necesse est & auditum rationem esse quandam: & proinde vnumquodq; modum excedens, tum graue, tum acutum, corrumpit auditum: itemq; in saporibus gustatum, & in colorib. visum quod valde splendidum, quodq; tenebrosum est: & in odoratu vehemens odor, tam dulcis quam amarus: utpote cum sensus ratio quædam sit, ideoq; iucunda sunt,
cum

cum syncera & non mista rediguntur ad rationem: vt acutum, aut dulce, aut falsum: tunc enim iucunda sunt. Deniq; mixtum magis est concentus, quam acutum & graue: tactui autem calidum, aut frigidum: sensus autem est ratio. Cum autem modum excedunt, aut corrumpunt, aut molestia afficiunt. Sensus igitur quisq; subiecti sensibilis est: atq; est in sensorio quatenus sensorium: discernitq; subiecti sensibilis differentias: vt album, vt nigrum, visus: dulce & amarum, gustus. Pari modo res habet in cæteris, sed quia & album, & dulce, & vnūquodq; sensibilium cum vnoquoq; comparatum iudicamus aliquo, & differre sentimus, necesse sanè est, sensu: sunt enim sensibilia. Ex quo perspicuum est, carnem non esse vltimum sensorium: necesse enim esset id quod iudicat, tangendo ipsum iudicare. Haud ergo fieri potest, vt separatis iudicet diuersum esse dulce ab albo: sed vnicuiquam ambo cognita esse oportet. Alioquin & si ego hoc, tu illud sentias, cognitum esset ea diuersa inter se esse. Oportet igitur, vt vnum dicat

K

diuersa

diuersa esse : diuersum namq; est dulce ab albo : dicit ergo idem : quomobrem vt dicit , sic etiam intelligit & sentit. Fieri igitur non posse, vt separatis separata iudicentur , perspicuum est : neq; etiam fieri posse in separato tempore, hinc patebit. Vt enim idem dicit , diuersum esse bonum , & malum , sic & cum alterum dicit diuersum esse, & alterum , non per accidens illud quando: verbi causa nunc dico aliud esse , non tamen aliud esse nunc : sed ita dicit & nunc , & quod nunc : ergo simul. Quare inseparabile, & in tempore inseparabili. Verum enim uero fieri non potest vt idem simul motibus moueatur contrarijs , quatenus indiuisibile est, & in indiuisibili tempore. Si enim dulce sic mouet sensum & intellectum , amarum autem contrario modo, & album diuerso : num igitur simul quidem & numero indiuisibile & inseparabile est quod iudicat , ipso esse autem separatum ? quodammodo igitur vt diuisibile diuisa sentit : quodammodo vt indiuisibile : ipso enim esse diuisibile est : loco autem & numero indiuisibile.

bile. An fieri non potest: potentiã enim idem diuisibile, & indiuisibile, & contraria est: ipso autem esse nequaquam: sed patiẽdo diuisibile est: nec potest simul & album nigrum esse: quare nec eorum species pati, si talis est sensus & intellectus. Sed vt id quod punctum nonnulli vocant, quã vnum & quã duo, eatenus etiam diuisibile est. Ergo quatenus indiuisibile est, vnum est id quod iudicat, ac simul. Quatenus vero diuisibile, non vnum: bis enim eodem vtitur signo simul. Quatenus igitur duobus vtitur termino, duo iudicat & separata, cum ipsum quodammodo sit separatum. Quatenus vero vnum, vno & simul. Ac de principio quidem quo dicimus animal esse sensitium, sic expositum est.

CAPVT XV.

QVoniam autem duabus potissimum differentijs describunt animam: scilicet motu loci, & intelligendo, & iudicando, ac sentiendo:

K 2

vide-

videtur autem intelligere & sapere quasi sentire quoddam esse: his enim vtrisque anima iudicat & cognoscit aliquid eorum quæ sunt. Atque etiam philosophi idem esse sapere & sentire asserunt, ut etiam Empedocles dixit:

*Namque viget ad presens hominum sapientia
semper:*

Et alio loco:

Effigies rerum varias prudentia monstrat,

Hoc idem sibi vult illud Homeri:

*Talis enim mens semper adest mortalibus æ-
gris,*

*Quales ipse dies dat diuum hominumque crea-
tor.*

Hi namque omnes intelligere quemadmodum etiam sentire, corporeum esse autumant: ut initio harum disputationum exposuimus: atque de deceptione etiam oportebat eos dicere: magis enim propria est animalium, & plus temporis in his versatur Anima. Quare necesse est, vel ut quidam dicunt omnia esse vera quæ apparent, vel rei dissimilis tactionem esse deceptionem. Hoc enim contrarium est illi sententiæ, simili cognosci simile, videtur autem & deceptio & scientia con-

tia contrariorum esse eadem. Ac sentire quidem & sapere non esse idem perspicuum est: hoc enim cuncta participant animalia, illud pauca: quinimo ne intelligere quidem in quo positum est ipsum recte & non recte, ipsum enim recte prudentia est & scientia, & vera opinio: non recte autem his contrarium: neque hoc inquam idem est quod sentire. Sensus enim proprius verus semper est, cunctisque inest animalibus: ratiocinari autem licet etiam falso: nullique inest, cui non etiam ratio. Phantasia namque diuersum est tum a sensu, tum a diuina: atque haec eadem sine sensu non fit: & sine ea non est existimatio. Phantasia autem & existimationem non esse idem, perspicuum est: nam affectio haec, cum volumus, in nobis est. Licet enim ob oculos ponere, quemadmodum qui in mnemonicis collocant, & imagines effingunt. Opinari vero non est in nobis: necesse enim est, vel fallamur, vel veritatem assequamur. Praeterea, cum opinamur rem aliquam atrocem, aut formidolosam, statim commouemur: itemque si quid fuerit quod fidu-

ciam afferat : at ex phantasia perinde afficimur, atq; qui spectant in pictura terribilia & fiduciam afferentia. Sunt porrò & ipsius existimationis differentia, scientia, opinio, prudentia, & quæ his contraria sunt : de quorum differentia, alia sit disputatio. De intelligendo autem, quia diuersum est à sentiendo, huius autem aliud esse phantasia videtur, aliud existimatio, ubi de phantasia disputauerimus, tunc demum de altero dicemus. Si igitur phantasia est, qua phantasma aliquod nobis fieri dicimus (nec loquor nunc, si quid per translationem dicere consueuimus) profecto vna earum potentiarum est aut habituum, quibus indicamus, verumq; assequimur, aut fallimur, hæc autem sunt, sensus, opinio, scientia, intellectus. At phantasia quidem non esse sensum, ex his perspicuum est. Sensus enim aut potentia est, aut operatio: vt visus vel visio: at vero apparet aliquid, etiam cum neutrum horum adsit: veluti ea quæ in somnis apparent. Deinde sensus semper adest: phantasia non item. Sin autem idem est quod operatio,
fieri

fieri possit vt in omnibus bestijs phantasia insit, quod tamen non videtur: vt formicæ, aut api, aut vermi. Deinde illi semper veri sunt, at phantasiæ pleræq; sunt falsæ. Huc adde, quod neq; dicimus cum exquisite circa sensibile operamur, hoc nobis apparere hominem: sed potius cum non expresse sentimus: & tunc aut verus est, aut falsus. Ac deniq; (quod superius dicebamus) etiam clausis oculis visa quædam apparere solent. Neq; vero eorum qui semper veri sunt vllus erit, vt scientia, aut intellectus: nam est etiam falsa phantasia. Restat igitur spectandum an opinio sit: fit enim opinio & vera & falsa: sed opinionem quidem, sequitur fides (neq; enim fieri potest, vt is qui opinatur, ea quæ opinatur, non credat) at vero bestiarum nulli inest fides: phantasia multis. Præterea, omnem opinionem sequitur fides: fidem persuasio: persuasionem ratio. At bestiarum nonnullis phantasia inest, ratio non item. Constat ergo nec opinionem cum sensu, neq; per sensum, neq; connexionem opinionis & sensus, esse phantasiam:

tum propter hæc, tum certè, quia non alia quædam opinio est: sed eiusdem illius, cuius & sensus est: verbi causa, connexio ex albi opinione & sensu, phantasia est: neq; enim ex opinione quidem boni erit, sensu autem albi. Apparere igitur est opinari, quod sentit non per accidens. Sed apparent etiam falsa, de quibus simul veram habet existimationem: vt sol apparet pedalis, persuasum est tamen, maiorem eum esse vniuersâ terrâ, vel igitur accidit vt suam opinionem amiserit, quam habebat veram, falsa re, non oblitus, neq; de sententia depulsus: vel si adhuc habet, necesse est eandem veram esse & falsam. Atqui tunc falsa fit, cum res mutata latuerit. Nec ergo horum vnū quidpiam, neq; ex his phantasia esse perspicuum est. Verum quia fieri potest, vt moto hoc, moueatur aliud ab hoc, phantasia autem quidam esse motus videtur, nec sine sensu fieri, sed sentientibus, eorumq; esse quorum sensus est, potestq; fieri motus ab actu sensus, eumq; similem esse sensui necesse est, hic sane motus eiusmodi fuerit, qui ne-

qui neq; sine sensu, neq; non sentientibus inesse possit: atq; fit, vt id quod eam habeat, complura per ipsam & agat & patiatur, ac vera fit & falsa, quod eo fit, quia sensus priorum verus est, aut certè quam minimum habet falsitatis. Secundò eius cui accidunt & hæc, atq; hic demum falsus esse potest. Album enim esse, non fallitur: sed an illud album, fit hoc, aut aliud quidpiam, fallitur. Tertio communium, & consequentium accidentia, quibus insunt propria: verbi causa, motus ac magnitudo, quæ accidunt sensibilibus: in quibus demum maximè fieri potest ex sensu deceptio. Motus igitur qui fit ab actu sensus, differens erit, videlicet is qui ab his tribus fit sensibus. Ac primus quidem præsentente sensu verus est, cæteri vero & præsentente & absente fuerint falsi, præsertim cum procul abest sensibile. Si igitur nihil aliud nisi phantasia quæ iam diximus habet, atq; hoc est quod diximus, profecto phantasia fuerit motus is, qui fit à sensu qui actu est. Porrò autem quia visus præcipue sensus est, ideo etiam nomen duxit $\epsilon\pi\sigma\iota$

τοῦ φάους id est à lumine: nimirum quia
 sine lumine videre non possumus: Ac
 quoniam immanent, similesq; sunt
 sensibus, multa per ipsas agunt ani-
 malia: alia, quod non habeant in-
 tellectum, videlicet bestia: alia, quod
 interdum intellectus obruitur, aut
 perturbatione, aut morbo, aut som-
 no, vt homines. At de phantasia
 quidem quid sit, & quam-
 obrem sit, tot expo-
 sita sint.

Aristo-

ARISTO
TELESTIDE
ANIMA.

Liber Tertius.

CAPVT I.



DEEA AVTEM
parte animæ, qua
anima cognoscit &
sapit, siue ea sit se-
parabilis, siue et-
iam non separabi-
lis magnitudine,
sed ratione, considerandum est quam
habeat differentiam, & quonam pa-
cto fiat intelligere. Si igitur intellige-
re est quemadmodum sentire, aut pa-
ti quoddam fuerit ab intelligibili, aut
aliquid eius generis aliud. Ergo im-
patibile ipsum esse oportet: recepti-
uum vero speciei, & potentiâ tale, sed
non hoc: & similiter habere, vt sensi-
tiuū ad sensibilia, sic intellectū ad in-
telli-

telligibilia. Necessè igitur est cum omnia intelligat, non mixtum esse, ut ait Anaxagoras, ut dominetur siue superet, id est, ut cognoscat: nam (species) se offerens impedimento est alieno & obsepit. Ita ut nulla sit eius natura nisi hæc, quod possibilis, ergo qui vocatur animæ intellectus, voco autem intellectum quo διανοεῖται & existimat anima, nihil est actu eorum quæ sunt, antequam intelligat. Itaque nec admixtum corpore eum esse, rationi consentaneum est: fieret enim cuiusdammodi, nimirum calidus aut frigidus: atque etiam instrumentum aliquod adesset, quemadmodum sensitivo: nunc verò nullum est. Atque præclare sane censent qui dicunt animam esse locum specierum: nisi quod neque tota, sed intellectiva: neque actu, sed potentiâ species: Non esse autem similem incompatibilitatem sensitivi & intellectivi, perspicuum est in sensuum instrumentis, & in sensu, nam sensus post vehemens sensibile sentire non potest: verbi causa, sonum post magnos fonos: nec etiam post vehementes colores, & odores, videre aut
olfa-

olfacere: at verò intellectus vbi aliquid intellexerit vehementer intelligibile, nihilo minus inferiora intelligit, imo etiam magis, nam sensitivum non est sine corpore: hic vero separabilis est. Vbi autem eo modo singula factus fuerit, quo qui actu est sciens appellari solet (quod tum accidit cū per se ipsum potest operari) est quidem tunc etiam quodammodo potentiâ, non tamen æque ac prius quã didicisset, aut inuenisset: atq; tunc etiam ipse se potest intelligere. Cum autem aliud sit magnitudo, & magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse, & sic in multis alijs, sed non in omnibus (in nonnullis enim idem est carni esse & carnem) aut alio, aut aliter se habente iudicat intellectus. Caro enim non est sine materia: sed sicut finum, hoc in hoc. Calidum igitur & frigidum sensitiva parte iudicat, & quorum ratio quædam est caro, alio autem, vel separabili vel vt flexa se habet ad se ipsam, cum extensa fuerit, carni esse iudicat. Rursus, in ijs quæ in abstractione consistunt, rectum est vt finum: cū continuo enim est, ip-

est, ipsum autem quid erat esse : si diuersum est recto esse & rectum, aliud est : sit enim dualitas : alio ergo aut aliter se habente iudicat. Omnino ut res separabiles sunt à materia, sic etiam intellectus. Sed quærat quispiam, si intellectus est simplex & impatiibilis, nec cum vlllo quidquam habet commune, ut dixit Anaxagoras, quomodo intelliget, si intelligere pati quoddam est ? nam quatenus commune quidpiam vtrifq; inest, alterum agere, alterum pati videtur. Præterea an ipse quoq; intelligibilis sit : vel enim cæteris etiam inest intellectus, si non ipse per aliud est intelligibilis, ac intelligibile vnum quoddam est specie : vel aliquod mixtum habebit, quod eum ut reliqua reddat intelligibilem. An ipsum quidem pati communi quadam notione superius explicatum est, quod intellectus potentia quodammodo est intelligibilia, actu vero nullum, antequam intelligat. Oportet autem veluti in codice nihil esse actu descriptum : quæ res accidit in intellectu. Atq; etiam ipse intelligibilis est, quemadmodum intelligibi-

ligibilia, in ijs enim quæ sine materia sunt, idem est id quod intelligit, & quod intelligitur: nam contemplatiua scientia & quod ita scibile est, idem sunt. Causa porrò, cur non semper intelligat consideranda est. In ijs autem quæ habent materiam potentia est vnumquodq; intelligibilium: quare illis quidem non inerit intellectus: nam intellectus horum talium potentia est sine materia: illi autem intelligibile inerit.

CAPVT II.

QVoniam autem vt in vniuersa natura est aliquid, vnum materia cuiq; generi, quod ideo sic est, quod potentia est illa omnia: alterum causa & effectiuum, eo quod omnia efficiat: quæ res vsu venit in arte si cum materia comparetur, ita enim in anima hæ adsint differentiæ necesse est. Atq; est quidam intellectus talis, quod omnia fiat: quidam, quod omnia faciat, veluti habitus quidam, perinde ac lumen: nam lumen quoq; quodam-

quodammodo facit actu colores, eos qui sunt potentiâ colores. Et hic intellectus separabilis est, & non mixtus, & impatibilis, & sui substantia operatio. Semper enim agens patiente, & principium, materiâ nobilius est. Idem autem est scientia quæ actu est, quod res ipsa. Ea vero quæ potentia est, prior tempore est in vno: omnino vero ne tempore quidem, sed non interdum intelligit, & interdum non intelligit: vbi autem separatus fuerit, tunc est solum id quod reuera est: & hoc solum est immortale & æternum: sed non meminimus: quia hoc quidem impatibile est: intellectus autem passius corruptibilis, & nihil sine eo intelligit.

C A P V T III.

IN ijs igitur indiuisibilibus intellectio est, in quibus non reperitur falsitas: in quibus autem reperitur falsitas & veritas, in ijs demum compositio quædam est conceptuû, quasi sint vnum: atq; vt Empedocles dixit:

Pullulat

*Pullulat ampla seges capitum ceruice ca-
rentum :*

deinde componi amore: sic etiam hæc cum separata sint, componuntur: vt incommensurabile, & diameter. Sin autem præteritorum vel futurorum, tempus insuper intelligens & componens: semper enim falsitas in compositione consistit: etenim si album non album dixerit, non album composuit: porrò autem licet etiam diuisionem omnia dicere: attamen non solum falsum est aut verum album esse Cleonem, sed fuisse vel fore, quod autem vnumquodq; vnum facit, id intellectus est. Cum autem indiuisibile bifariam dicatur, nihil prohibet quominus indiuisibile intelligat, cum longitudinem intelligit (est enim actu indiuisibilis) & in tempore indiuisibili: similiter enim tempus diuisibile & indiuisibile est, atq; longitudo. Non igitur dicere potest quid in vtroq; dimidio intelligebat: non enim est, si non diuidatur, nisi potentiâ. At cum seorsum vtrumq; dimidiorum intelligit, vnâ etiam tempus diuidit: tunc vero quasi longitudes. Quod si vt ex vtrif

L

que, &

que, & in tempore quod in vtrisque.
Quod porro non quantitate sed spe-
cie indiuisibile est, id in tempore in-
diuisibili, & indiuisibili animæ in-
telligit: per accidens autem, & non
quatenus illa diuisibilia sunt, quo in-
telligit & in quo tempore, sed quate-
nus indiuisibilia: nam in his etiam in-
est aliquid indiuisibile, sed forte non
separabile, quod vnum & tempus &
magnitudinem efficit: & hoc peræque
in omni continuo reperitur, tum tem-
pore tum longitudine. Punctum au-
tem, omnisq; diuisio, & quod ita in-
diuisibile est, sicut priuatio, cognos-
citur. Quæ ratio similis est in cæteris,
scilicet qua malum aut nigrum cog-
noscit: nam contrario, quodammo-
do cognoscit. Oportet autem id quod
cognoscit potentiâ esse, & inesse in
ipso. Quod si causarum alicui nihil
est contrarium, ipsa se ipsam cognos-
cit, & actus est, & separabilis. Est au-
tem dictio quidem aliquid de aliquo,
quemadmodum affirmatio: estq; ve-
ra vel falsa omnis: at intellectus non
omnis, sed qui est ipsius Quid est ex
ipso Quid erat esse, verus est: & non
aliquid

aliquid de aliquo. Sed vt visus proprius verus est, an vero hoc album, homo sit, nec ne, non verum semper est: sic se habent quæcunq; sine materia sunt.

CAPVT IIII.

Scientia autem quæ actu est, idem est quod res: ea vero quæ potentia est, in vno prior est tempore: omnino vero ne tempore quidem: cuncta enim quæ fiunt, ex eo sunt quod actu existit. Videtur autem sensibile ex eo quod est potentia, sensitivum actu efficere: non enim patitur nec alteratur. Quamobrem alia est hæc motus species, motus enim, actus erat imperfecti, at vero qui simpliciter est actus, alius est: is scilicet qui perfecti est. Sentire igitur simile est ipsi dicere solum & intelligere: cum autem iucundum aut molestum iudicauerit, non secus ac si affirmasset aut negasset, persequitur aut fugit. Atq; est voluptate aut dolore affici, operari sensitiva mediocritate ad bonum aut

L 2

malum

malum, quatenus talia sunt: & fuga demum & appetitus qui actu est, hoc sunt: nec diuersa sunt appetituum & sensituum neque inter se, neque à sensitiuo: sed eorum esse diuersum est. Diuina autem animæ phantasmata veluti sensibilia sunt. Cum autem bonum aut malum affirmauerit vel negauerit, tum fugit aut persequitur. Quapropter nunquam anima sine phantasmate intelligit. Quemadmodum autem aër pupillam talem fecit: ipsa vero aliud: sic etiam auditus, extremum autem vnum est, & vna mediocritas: esse autem est ipsi plura. Quo autem iudicat, qua ratione differat dulce ab albo, & superius dictum est, & dicendum etiam est, sic: est enim vnum quidpiam: & ita vnum, ut terminus. Et hæc vnum sunt proportionem & numero quem habet ad vtrumque, ut illa inter sese quid enim refert dubitare, quomodo ea quæ eiusdem generis sunt, iudicet, aut contraria: ut album ac nigrum: fit igitur ut A quod est album ad B quod est nigrum, C ad D, ut illa inter se: quare etiam commutato ordine. Si igitur C
D vnum

D vnum sunt, ita se habebunt sicut & A B : idem scilicet & vnum , esse vero non idem : & illud similiter : Eadem etiam ratio est, si A quidem dulce sit , B vero album. Intellectiuum igitur species in phantasmatis intelligit. Et quemadmodum in illis præfinitum est ipsi quid persequendum , quidque fugiendum sit , ita etiam extra sensum , cum in phantasmatis fuerit , mouetur : vt sentiens facem ignem esse , communi cognoscit videns eam moueri , hostilem esse. Aliquando autem ijs quæ sunt in anima phantasmatis , aut mentis conceptibus quasi videns ratiocinatur , & consultat de futuris ad præsentia respiciens. Et cum dixerit ibi esse rem iucundam aut molestantem , tum fugit aut persequitur , & omnino in actione versatur. Quinetiam verum & falsum quæ sine actione sunt , in eodem sunt genere quo bonum & malum : sed ipso simpliciter differunt , & aliquo. Quæ vero in abstractione vocantur , intelligit perinde quasi simum : quatenus quidem simum , non separatè : quatenus vero curuum , si quid actu intelligeret , sine

carne intelligeret in qua curuum est :
 sic mathematica quamuis non sepa-
 rata , veluti separata intelligit, cum
 illa intelligit. Omnino intellectus qui
 actu intelligit , est res ipsæ. An verò
 fieri possit vt ipse à magnitudine non
 separatus , separatorum aliquod in-
 telligat nec ne , post considerandum
 est.

C A P V T V.

N Vnc quæ de anima dicta sunt, in
 pauca conferamus, rursusq; di-
 camus , animam esse quodammodo
 omnia ea quæ sunt. Cuncta enim quæ
 sunt, aut sensibilia sunt aut intelli-
 gibilia, ac scientia quidem est quodam-
 modo scibilia: sensus autem sensibilia.
 Quod quomodo se habeat quæren-
 dum est. Secatur igitur scientia & sen-
 sus in res, quæ potentia est, in ea quæ
 sunt potentia, quæ actu, in ea quæ
 sunt actu. Sensituum autem animæ
 & scientiale, potentia hæc sunt, alte-
 rum scibile, alterum sensibile. Neces-
 se est autem, vel ipsa esse, vel species,
 at ipsa

at ipsa quidem, nequaquam: non enim lapis in anima est, sed species. Itaq; anima quasi manus est: nam manus instrumentum est instrumentorum, & intellectus quoque species specierum, & sensus species sensibilibum. Quoniam autem nulla res, ut videtur, est præter sensibiles magnitudines separata, in speciebus sensibilibus intelligibilia sunt, tum quæ in abstractione vocantur, tum quæcunq; sensibilibum habitus & passionibus sunt. Quamobrem si non sentiat, nihil discernere aut intelligere poterit: & cum speculatur, necesse est vna cum phantasmate speculetur: phantasmata enim sicut sensibilia sunt: nisi quod sine materia sunt. Porro autem phantasia aliud est à dictione, & negatione: nam verum vel falsum connexio est mentis conceptuum. At primi conceptus quo different ut non phantasmata sint? an ne reliquæ quidē phantasmata sunt, attamen non sine phantasmatis.

CAPVT VI.

L 4

Quoni-

Quoniam autem animalium anima, duabus definita est potentijs, tum ea quæ iudicat (quod diuincæ & sensus officiũ est) tum ea quæ mouet motu loci: de sensu quidem & intellectu tot exposita sint. De eo autem quod mouet, quid tandem sit animæ, considerandum est: vtrum vna quædam sit eius pars, aut magnitudine aut ratione separabilis, an tota anima: & si pars aliqua, vtrum peculiaris quædam præter eas quæ dici solent, & quæ dictæ sunt: an earum vna quædam. Sed oritur statim quæstio, quomodo partes animæ, quotq; dicendæ sint: modo enim quodam infinitæ videntur esse, nec eæ solum quas nonnulli inquirunt distinguentes, ratiocinatiuam, & irascitiuam, alij autem ratione præditam, & rationis expertem. Nam pro differentijs, propter quas eas distinguunt, etiam aliæ videntur esse partes, his magis distantes, de quibus nunc quoq; diximus: nutritiua scilicet, quæ & plantis, & cunctis inest animalibus: & sensitiua, quam neq; vt rationis expertem, neq; vt rationem habentem quispiam facile

cile statuat. Phantasticaq; item, quæ ipso quidem esse ab omnibus diuersa est, à quam autem harum diuersa aut eadem sit, magna quæstio est, si quis separatas partes animæ statuet. Appetitiuaq; item, quæ & ratione & potentia diuersa ab omnibus esse videatur, & certe absurdum est eam diuellere: nam & in ratione prædito voluntas fit, & in ratione carente cupiditas, & ira. Quod si anima tria est, in vno quoq; erit appetitus. Iam verò de quo nunc instituta est disputatio, quid est quod loco mouet animal? motu enim auctiōnis & diminutionis qui omnibus insunt, id quod omnib. inest, nempe generatiuū & nutritiuū, mouere videatur. De respiratiōe autē & expiratione post considerandū est: nā de his quoq; non leuis est quæstio. Verū de motu loci quid sit quod moueat animal motu incessus, considerandum est. Constat igitur, non esse nutritiuam potentiam: semper enim alicuius gratia motus hic est: atq; vel cū phantasia, vel cum appetitu: nihil enim nisi appetat vel fugiat, mouetur, nisi vi. Præterea etiam plantis hic

ineffet motus, ac partem aliquam organicam ad hunc motum haberent. Pari quoq; modo nec sensitivum: extant enim plæraq; animalia, quæ sensum quidem habent, attamen stabilia ac immobilia perpetuo sunt. Quod si natura neq; facit frustra quidquam nec aliquid necessariorum prætermittit, nisi in mutilis & imperfectis: ac eiusmodi animalia perfecta & non mutila sunt, argumento quod generandi vim habeant & statum, & diminutionem sanè etiam organicas incessus partes haberent. Quin ne intellectivum quidem & qui vocatur intellectus est, is qui mouet. Contemplativus enim nihil agendum contemplatur, neq; de fugiendo & persequendo quidquam dicit: at motus semper aut fugientis aliquid, aut persequētis est. Neq; vero cum aliquid eiusmodi considerat, iam iubet vel persequi vel fugere: verbi causa sæpe intelligit aliquid formidolosum aut iucundum, nec iubet timere, cor autem mouetur: si iucundum, pars aliqua alia. Præterea, quamvis intellectus iubeat moneatq; diancæa fugere aliquid aut persequi,

sequi, non mouetur: sed ex cupiditate agit, quemadmodum incontinentes. Deniq; videmus eum qui medendi scientiam teneat, non mederi, vtpotè cum aliud quidpiam sit quod habeat potestatem agendi ex scientia, & non scientia. Neq; verò penes appetitum est huius motus potestas: nam continentes quamuis appetant & cupiant, non tamen ea agunt quæ appetunt, sed parent intellectui.

CAPVT VII.

Videntur igitur duo hæc mouere, aut appetitus, aut intellectus: si quis phantasia statuat velut intellectiōnem quandā, in multis enim posthabita scientia sequimur phantasias: & quidem in cæteris animalibus, nec intellectio inest, neq; ratio, sed phantasia. Ambo igitur hæc motiua sunt motu loci, intellectus & appetitus. Intellectus (inquam) qui alicuius gratia ratiocinatur, & actiuus: differt autem à contemplatiuo fine. Appetitus etiam omnis, alicuius est gratia: cuius enim

enim est appetitus, id principium est actiui intellectus : at quod vltimū est, principium est actionis. Quamobrem meritō hæc duo videntur esse ea quæ moueant, appetitus & diancæa actiua, nam appetibile mouet, & propterea diancæa mouet : quia principium eius est appetibile. Quinetiam cum phantasia mouet, non sine appetitu mouet. Vnum igitur quidpiã est quod mouet primò, videlicet appetitium. Nam si duo, intellectus nimirum & appetitus mouerent, communi aliqua specie mouerent : nunc autem intellectus non videtur sine appetitu mouere : nam voluntas appetitus est. Cū autem ratione mouetur, voluntate etiam mouetur : appetitus autem sine ratione mouet : cupiditas enim appetitus est quidam. Ac intellectus quidem omnis rectus est : appetitus autem & phantasia, & recta, & non recta. Itaq; fit vt semper quidem appetibile moueat, id vero est vel bonum, vel apparens bonum, non omne tamen, sed agendum bonum : agendum autem bonum est, quod potest etiam aliter se habere. Eiu modi igitur anima po-

mæ potentiam, quæ vocatur appeti-
 tus, mouere palam est. Ex eorum au-
 tem sententia qui partes animæ di-
 uidunt, si eas per potentias diuidant
 ac separent, permultæ euadunt : nu-
 tritiua, sensitiua, intellectiua, delibe-
 ratiua, atq; etiam appetitiua. Hæc e-
 nim plus inter se differunt, quam con-
 cupiscitiua, & irascitiua. Sed quia ap-
 petitiones mutuo sibi contrariæ fiunt,
 quod tunc accidit, cum ratio & cupi-
 ditas contrariæ fuerint : fit autem in
 his quæ temporis sensum habent, nam
 intellectus propter futurum reluctari
 iubet, cupiditas verò propter id quod
 iam est : videtur enim quod iam iu-
 cundum est, etiam simpliciter esse iu-
 cundum, & bonum simpliciter : pro-
 pterea quod non videt futurum, vtiq;
 vnum specie fuerit quod mouet, vide-
 licet appetitiuum quatenus appetiti-
 uum : primum autem omnium appe-
 tibile (hoc enim mouet & non moue-
 tur, quod intellectu aut phantasiâ ap-
 præhensum sit) numero autem plura
 sunt ea quæ mouent, sed cum tria sint,
 vnum quod mouet, secundû quo mo-
 uet, tertiumq; item quod mouetur :
 atq;

atq; id quod mouet duplex fit, partim immobile, partim quod moueat & moueatur. Est autem immobile quidem, bonum agendum: quod vero mouet & mouetur, appetituum (mouetur enim quod appetit, quatenus appetit, ac appetitus modus quidam est aut operatio) quod vero mouetur, animal. Instrumentum vero quo mouet appetitus, id demum corporeum est: quamobrem in communibus corporis & animæ muneribus de ijs considerandum est. Nunc autem vt summam dicam, id quod mouet organicè, est vbi principium & finis est idē, veluti cardo. Hic enim conuexum & concauum, alterum finis: alterum principium est: iccirco alterum quiescit, alterum mouetur: cum ratione diuersa, magnitudine inseparabilia sint. Cuncta enim pulsu & tractu mouentur: quapropter oportet veluti in circulo, aliquid maneat, & inde incipiat motus. Ad summam, sicuti diximus, animal quâ appetituum est, eatenus sui ipsius motuum est. Appetituum autem sine phantasia non est. Phantasia porrò omnis, aut ratione prædita

prædita est, aut sensitiva, atq; hanc quidem reliqua etiam animalia participant.

CAPVT VIII.

SED de imperfectis etiam considerandum est, quid sit quod ea moueat, quibus sensus duntaxat tactus inest: vtrum fieri possit vt phantasia & cupiditas in ijs inest, an non? nam & dolorem & voluptatem inesse apparet. Quod si hæc insunt, & cupiditatem inesse necesse est. Atqui phantasia quomodo inest: an quemadmodum mouentur indefinite: ita hæc etiam, insunt illa quidem, verum indefinite insunt? sensitiva igitur phantasia (quemadmodum dictum est) reliquis etiam inest animalibus: deliberatiua vero in ijs quæ rationem habent. Vtrum enim hoc aget an illud, id iam rationis officium est, atq; necesse est vno quodam semper metiri, maius enim persequitur: quare potest ex pluribus phantasmatis vnum facere, Atq; hæc est causa cur non habere opinionem

nionem videatur: nimirum quia eam quæ ex syllogismo proficiscitur, non habet, proinde deliberatiuum appetitus non habet, vincit tamen interdum, & mouet voluntatem: nonnunquam hæc illum, veluti sphaera: appetitus scilicet appetitum, cum incontinentia fit. Quæ vero superior est, semper est natura dominantior, & mouet: ita ut tribus demum lationibus moueatur. Scientiale autem non mouet, sed manet. Sed cum existimatio ac ratio, quædam sit rei vniuersalis: quædam, singularis, altera namque dicit oportere hunc talem, hoc tale agere, altera, hoc esse tale, & me etiam talem: hæc demum opinio mouet, non illa vniuersalis: An vtraque, sed illa quiescens potius: hæc, non item.

C A P V T IX.

NEcesse igitur est, quicquid viuit & animam habet, nutritiuam habere animam ab ortu vsque ad interitum suum: quod enim genitum est habere auctiorem, & statum, & diminutionem
necesse

necesse est, quæ sine nutrimento haberi nequeunt. Ergo necesse est nutritivam potentiam, omnib. ijs inesse quæ oriuntur & intereunt. Sensum omnib. inesse viventibus, necesse non est: neq; enim ea quorum corpus est simplex, possunt tactum habere: neq; sine eo vllum animal esse potest: neq; item ea quæ non sunt receptiva specierum sine materia. At animal necesse est sensum habeat, si nihil frustra facit natura, cuncta enim quæ natura sunt, alicuius sunt gratia: aut sunt casus eorû quæ alicuius gratia sunt: ergo, si corpus quoq; gressile non haberet sensû, utiq; corrumpetur, & ad finem non perueniret, quod naturæ opus, & officium est, Quo enim pacto nutrietur? ijs enim quæ stabilia sunt, hoc adest in eodem illo loco vnde orta sunt. Fieri autem non potest, vt corpus vllum habeat quidem animam & intellectum iudicandi vi præditum, sensum vero non habeat, quod non stabile sit, sed generabile (quinimo ne ingenerabile quidem) cur enim non habeat? nam aut animæ melius erit, aut corpori: nunc autem neutrum est. Illa enim nõ

M

magis

magis intelliget: hoc vero non ideo magis erit propter illud. Nullum ergo corpus non stabile, habet animam sine sensu. Enimvero, si sensum habet, necesse est corpus sit, aut simplex aut mixtū, sed fieri non potest ut simplex sit: nam tactum non habebit: quem tamen necesse est habeat. Quod ex his perspicuum erit: nam cū animal corpus sit animatum, atq; omne corpus tactile sit, tactile autem est quod est tactu sensibile, necesse est etiam animalis corpus, tactuum esse, si saluum futurum est animal. Cæteri nanq; sensus per alia sentiunt, ut odoratus, visus, auditus, quod si tangendo non sentiet, alia vitare, alia parare non poterit. Quod si ita est, fieri non poterit ut conseruetur animal. Quapropter & gustus est veluti tactus quidam, nam alimenti est: at alimentum, corpus est tactile. Sonus autē & odor, & color nō nutriunt, neq; auctiōnem aut diminutionem efficiunt: ideo etiam gustum, tactum esse quendam necesse est, quia rei tactilis & sensitivæ sensus est: Atq; hi quidem animali necessarij sunt, & perspicuum est fieri non posse ut sine
tactu

tactu animal sit: reliqui vero gratiâ eius quòd bene est, ac generi demum animalium non cuilibet, sed cuidam, veluti gressili, necesse est insint: nam si saluum futurum est animal, non solum oportet tangendo sentiat: verum etiam è longinquo. Quod quidem fiat, si per intermedium sensitivum sit: eo quod illud quidem à sensibili patitur & moueatur, ipsum autem ab illo. Quemadmodum enim quod loco mouet, quadantenus transmutari facit, & quod pepulit aliud efficit vt pellat, & est per medium motus, ac primum quidem mouens, pellit nec pellitur, vltimum vero duntaxat pellitur, non pellens, medium autem, horum vtrūque (multa autem sunt media) sic & in alteratione: nisi quod in eodem loco manentia alterant: vt si quis in ceram mergat quidpiam, vsq; eo mota est, quo tinxit. Lapis autem nihil prorsus: vt aqua longius, aër vero longissime mouetur, & agit, & patitur, si permaneat & vnus sit. Proinde de refractione rectius cēsendum est, aërem pati à colore & figura, donec sit vnus, (in leui autem est vnus) quam visionē

M 2 egredi-

egredientem refringi. Quamobrem
rursus is quoq; visum mouet, nō secus
ac si signum quod in cerā imprimitur,
vsq; ad imam ceram transmitteretur.

C A P V T X.

Perspiciuum igitur est fieri non pos-
se vt simplex sit corpus animalis,
verbi causa igneū aut aëreū: nam sine
tactu, nullus alius sensus haberi po-
test: omne enim animatum corpus,
tactiuum (vt diximus) est. Reliqua ve-
ro præter terram sensoria quidem fie-
ri possunt, cuncta vero per aliud sen-
tiendo sensum efficiunt, & per interme-
dia, at tactus in tangendo ea consistit.
Quamobrem etiam nomen hoc ha-
bet. Atqui & alia sensoria tactu senti-
unt, sed per alia: hic autem videtur so-
lus per se. Quare nullum eiusmodi ele-
mentorum fuerit corpus anima-
lis. Neq; verò terreum, tactus enim
quasi mediocritas est omnium tacti-
lium, atq; sensorium hoc, non solum
differentiarum, quæ terræ sunt recep-
tiuum est, verum etiam calidi & frigi-
di, ac

di, ac reliquorum omnium tactilium. Quo fit vt nec ossibus nec pilis nec id genus alijs partibus sentiamus, quia terræ sunt. Et plantæ, propterea nullum habent sensum, quia terræ sunt: at sine tactu, nullus alius esse potest. Hoc autem sensorium neq; terræ est, neq; vllius alterius elementorum. Nō ergo dubium est, quin animalia, cum hoc solo sensu priuantur, necessario moriantur, neq; enim fieri potest vt eum habeat quod non sit animal: neque si sit animal alium præter eum habeat necesse est. Quamobrem cætera quidem sensibilia animal excessibus non corrumpunt suis, vt odor, vt color, vt sonus, sed sensoria tantummodo: nisi forte per accidens, verbi causa si vnà cum sono, pulsus fiat & ictus: & à quibusdam visis & ab odore alia moueantur, quæ tactu corrumpant. Quinetiam sapor, quâ simul accidit vt tactilis sit, eatenus corrumpit: at tactilium exuperantia, vt calidorum, frigidorum, durorum, corrumpit animal. Nam sensilis cuiusuis exuperantia corrumpit sensorium: Quamobrem tactile etiam tactum, Hoc au-

tem animal definitum est: ostensum namq; est fieri non posse, vt sine tactu animal sit, itaq; fit vt tactilium excessus non solum sensorium, sed animal etiam corrumpant, quandoquidem necesse est animalia hunc solum habere. Reliquos autem sensus habet vt diximus animal, non vt sit, sed vt bene sit: veluti visum, quandoquidem in aëre & in aqua & omnino in translucido versatur, vt videat: Gustatum, propter iucundum & molestum, vt id quod in alimento est, sentiat, idq; cupiat ac moueatur: Auditum, vt ei aliquid significetur: Linguam, vt ipsum quidpiam alteri significet.

LIBRORVM TRIVM DE
ANIMA, FINIS.

L I P S I A E,
I N O F F I C I N A E R N E -
S T I V O E G E L I N I C O N -
S T A N T I E N S I S .


A N N O ,


M . D . L X I X .

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF
SAXONY-ANHALT
MAGDEBURG

Pa 456









Pa 456

(X 227 3342)

TA 70L





PHYSIOLOGORVM OMNIVM
PRINCIPIS

6e
ARISTOTELIS
DE ANIMA LIBRI
TRES, EX VERSIONE
Michaëlis Sophiani re-
cens nata: *2444*

QVIBVS ADDITA BREVIS
disputatio est, ad Ordinem, Materi-
am, Diuisionemq; totius tra-
ctationis de Anima per-
tinens,

Autore

SIMONE SIMONIO
Doct. Med. & Philosophiæ, eiusdem-
que in Academia Lipsiensi,
publico professore.

L I P S I A E

A N N O

M. D. LXIX.

